I. G. TE WATER

NARRATIO

DE REBVS ACADEMIAE LVGDVNO BATAVAE,
SECVLO XVIII, PROSPERIS ET ADVERSIS.

IONAE GVILIELMI TE WATER

NARRATIO

DE

REBVS ACADEMIAE LVGDVNO BATAVAE, SECVLO OCTAVO ET DECIMO, PROSPERIS ET ADVERSIS.

ACCEDVNT

B. VVLCANII *consilium de studio Medicinae.*
Auctarium Legati PAPENBROEKIANI.
Series CVRATORVM *et* PROFESSORVM *Academiae Lugduno Batavae, seculo XVIII.*

LVGDVNI BATAVORVM,
APUD S. ET I. LUCHTMANS,
ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.
MDCCCII.

AD LECTOREM.

Summum Academiae Lugduno Batavae magistratum die IX *februarii a.* MDCCCI *posituro, publice aliquid mihi dicendum erat. Non omni caussae, quod ait* Cicero, *nec auditori, nec personae, nec tempori congruit orationis unum genus. Hoc argumentum iurene an iniuria delegerim, iudicent alii. De narratione edenda, vel secus, diu multumque deliberavi. Si quis consilium ceperit conscribendi Historiam Academiae, poterit fortasse, legendo hoc opusculo, aliquantisper adiuvari. Narrationi quaedam subnexui. Nisi praepeditus morbo, plura addidissem. Observationes de lapide antiquo scribens pag. 166 seqq., non recordabar, Clar.* Tydemannum, *in orat. de necessario Historiarum, Eloquentiae Graecique sermonis in Belgica studio, ad egregium eius civem formandum, p. 28, voces* NVMERO EXPL. BAT. CVR. COO

EX:

NARRATIO

DE

REBVS ACADEMIAE LVGDVNO BATAVAE, SECVLO OCTAVO ET DECIMO, PROSPERIS ET ADVERSIS.

Auditores, quotquot adeſtis, cives, hoſpites, quos ſua quemque dignitas, ingenium, virtus et literarum ſtudia ornant atque commendant (*a*).

✤ ✤ ✤

Cum dicendi neceſſitatem et muneris mei ratio et feſtus hic dies anniverſarius

(*a*) Narratorem acturo, non Oratorem, placebat mihi haec auditores ſalutandi formula; ſed diſplicebat aliis, quod miror. Eodem ſimilive alloquii genere ſaepius uſi ſunt Profeſſores Leidenſes,

rius mihi imponere videatur, cogit me horum temporum rerumque mearum ratio vestram exspectationem fallere, sermonisque genere ad Vos uti longe diverso ab huius loci orationumque consuetudine.

Quamvis lex nulla mihi nota sit, quae postulet, ut quis, ardua Rectoris provincia perfunctus, in publico verba faciat, solemnemque die natali huius Academiae habeat orationem, est tamen ea consuetudo nobis a maioribus tradita, atque per duo amplius secula quoad eius fieri posset (*b*), constanter et perpetuo usitata. Equidem non is sum,

ses, etiam Viri Clarissimi *Luzac* atque *Smallenburg* a. 1795 et 1796, ut patet ex ipsorum orationibus, luce publica eo tempore donatis.

(*b*) Factum enim est nonnunquam, ut die natali Academiae a Rectore Magnifico aut non haberetur oratio, aut non posset haberi, ex. gr. anno 1777 et 1778, ob ipsius valetudinem adversam vel mortem.

sum, qui morem pristinum, maiorum instituto bene ac sapienter receptum, plane negligendum putem; quin contra, eo colendo, effici posse arbitror, ut in conspectum vestrum prodeant oratores diserti et eloquentes, qui rerum gravitate prosint, ac suavitate verborum delectent: cuius quidem rei Vos ipsi subinde testes eratis valde locupletes.

Turpe sit, me nescire, quod nemo omnium ignorat, eum esse oratorem, hoc tam gravi dignum nomine, qui prudenter, et composite, et ornate, et memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate (*c*). Quod si verum est, orationem, cuius formandae variandaeque et quasi quibusdam (*d*) verborum

(*c*) *Cicero* I. de Orat. 64.
(*d*) *Cicero* II. de Orat. 9.

ſum ſententiarumque inſignibus diſtinguendae, inter tot tam moleſta negotia, non erat idonea opportunitas, nolim, hodierno die ut a me exſpectetis.

Narrabo tantummodo Vobis res ante geſtas. Sed ecquasnam? easne, quae a paucis annis, aut in Europa, aut in Patria noſtra, evenerunt? Noſtis autem, mei ordinis homines pleroſque eſſe publicarum rerum, ſi non rudes, at certe minus peritos, nec ſatis idoneos ad diligentem earumdem, quibus ipſi non interfuerunt, accuratamque narrationem. Tantum vero abeſt, ut invideam ſacrorum antiſtitibus, in Patria, novum levemque honorem, qui, ad ſummam dignitatem, non adſcendentes, ſed evolantes, ad breve in puppi ſedebant, clavumque Reipublicae Batavae

te-

tenebant, vel ſaltem tenere ſibi videbantur, ut ad alia omnia me natum laeter educatumque, nec immemorem proverbiorum (*e*), quae ſunt ſermone et vetuſtate admodum trita, ſed a ſcriptoribus graviſſimis ſervata nobis et commendata: *ne ſutor ultra crepidam*, et, *ne loquaris ultra malleum.*

Si laeto huic diei triſtia ſola eſſent ac-

(*e*) Si non vacat perlegere libros veterum Graecorum ac Romanorum, conſulant ἀλλοτριοεπίσκοποι *Erasmi* Adagia pag. 63. — Lege ſacrata, nuper admodum denuo ſancita, prudenter cautum eſt, ne Doctores Eccleſiaſtici ulli ad Rempublicam accederent, et ad obeunda munera civilia quaecunque in patria noſtra vocarentur. Ontwerp van Staatsregeling voor het Bataafſche Volk 1801 Art. 27. Non nova ea lex eſt. Volebat Conſtantinus, ut religionis adminiſtri ab omnibus omnino publicis functionibus eſſent immunes, ne errore aliquo aut caſu ſacrilego a cultu, Divino Numini debito, abstraherentur; teſte *Euſebio* lib. X. H. E. c. 7. Conf. L 1, 2, 7, 9. *Cod. Theod. de Epiſcopis, Eccleſiis et Clericis*, cum commentario *Gothofredi.*

accommodata, narrarem Vobis gravem Religioni ſanctiſſimae, a medio circiter ſeculo praeterito, illatam plagam levitate hominum, quorum conſilia temeraria erant, primum, certa incertis coniecturis vexare, deinde, ſtudium veri ex animo humano radicitus evellere, porro, oraculorum divinitus nobis traditorum libris detrahere pretium honoremque, tandem, Religionem Chriſtianam univerſam, cum haec vi nulla nulloque machinationum genere queat exſtirpari, in contemtum adducere, vel cum religione naturali puriori, quam minuti iſti philoſophi vocant, callide commutare (*f*).

Iam

(*f*) De conſiliis et conatibus quorumdam, Religioni Chriſtianae infeſtis et inimicis, nemo erit, qui ambigat, ſedulo perlectis tum ipſis eorum libris, tum commentationibus doctorum virorum, huic hominum generi in Belgio et alibi oppoſitis, tum

Iam nunc potius narrabo *res Academiae Lugduno Batavae, feculo octavo* (g) *et decimo, profperas et adverfas.*

Quod

tum commentariis Abbatis *Barruel*, ad hiftoriam Jacobinismi pertinentibus, et in compendium redactis Londini a. 1799.

(*g*) Qui hiftoriam pragmaticam huius Academiae a primis inde originibus ad noftra usque tempora fcribere aggrediatur, ille profecto operae pretium faciet, et a reipublicae literariae amantibus magnam inibit gratiam. Quae *Meurfius*, *Orlers*, *Heumannus*, *van Loon*, *van Mieris*, *'s Gravezande*, alii, breviter narrant, harum rerum cupidis ea minus fatisfaciunt. Anno 1725 monebat *Fr. Fabricius*, pag. 10 notarum in Orationem panegyricam, Petrum van der Aa curare defcriptionem vitae omnium Profefforum ab Academiae fundatione ad fua tempora; qui tamen liber in vulgus editus non eft. Diu poft, anno 1780, Abbas *Coupé* ad Rectorem Academiae literas dabat Parifiis, petebatque, ut fibi fontes, e quibus hiftoriam huius Academiae literariam haurire poffet, indicarentur. Quid eo tempore refponderit Rector, ad quem folum iftas literas pertinere iudicabat Senatus Academicus, quidve deinde Abbas molitus fit, me fugit. Narratio noftra tantum pertinet ad feculum XVIII; nec eâ continetur hiftoria.

Quod dicendi argumentum nec ab ingenio meo, et senectute, aut iam urgente, aut certe adventante, prorsus est alienum, nec solemnibus ipsius huius diei repugnat, nec auditoribus ad unum omnibus, ut spero, erit iniucundum.

Anni enim sunt fere quinquaginta, cum adolescens vivere coepi inter literarum studia; et magnam istius temporis partem (*h*), vel discendo, vel docendo, vel conscribendo historias, patrias quoque, alacer ac laetus consumsi. Sed tamen tam felici esse mihi non contingebat, memorabili illo anno, seculi, quod praeteriit, postremo, cum in me, non certe ambientem aut prensantem, im-

(*h*) Tanti apud me valebat exemplum Parentis optimi, et consilium *Petri Wesselingii*, Praeceptoris per omnem vitam colendi.

ïſſimo vero candide deprecantem, ſummus Academiae magiſtratus ſecundum conferretur, cuius curae et ſollicitudines quo mihi erant graviores, frequenter experto, quam eſſet difficile, bene conſtituta retinere, prolapſa reſtituere, iuventutis ſtudioſae iura pro virili vindicare, conſilia omnia laboresque dirigere ad ſalutem reipublicae Academicae, et hanc non extra noxam modo, ſed etiam extra famam noxae, conſervare; quo igitur haec et eiusdem generis negotia erant moleſtiora, eo iucundior hic mihi tandem illuceſcit dies, animoque hilariori publice DEO praepotenti eidemque adverſus me perbenigno gratias ago, quantas poſſum maximas. Nunc demum cum mihi reddar, praegeſtit animus ad illud ſe protinus recipere literarum genus, quibus ab ineunte aetate ali re-

reficique consuevit, et in occasu vitae adhuc dum delectatur.

Pauci sunt dies, cum, post natum generis humani Servatorem seculo decimo octavo verso, novum iniit, cuius exordium felix faustumque esse Vobis omnibus, almae huic studiorum matri, Patriae carissimae, Ecclesiae Christianae, toti Europae, ut velit ac iubeat, supplex precor et veneror supremum universitatis rerum Gubernatorem. Itaque, primo novi, quod ingressi sumus, seculi anno, cuius similem alium certe nemo nostrum vidit, et vix quispiam vivendo attinget, a solemnitate huius diei minime alienam iudicavi narrationem rerum, quae in Batavo musarum sacrario, seculo expleto, bene vel male evenerunt.

Nec

Nec mihi quis Veſtrum, Auditores, ſic occurrat, ut dicat, aut, laeto et feſto die ea unice, quae boni fauſtique ſunt ominis, triſtia nulla, commemorari oportet, aut, longior iſta narratio facile audiendi pariet faſtidium, aut, ea igitur iterum apponentur, quae ab aliis antehac ſatis dicta ſunt.

Veritus profecto non ſum, quod de ſe *Plinius* (*i*) teſtatur, ne Vos feſto die confunderem, ſi in memoriam graviſſimi luctus reduxiſſem. Rerum enim adverſarum narratione non raro efficitur, ut proſperae cariores aeſtimentur, mentique gratae magis haereant infixae.

Itane metuitis, ne multam in noctem mei protrahantur ſermones? Ego ve-

(*i*) Lib. III. Epiſt. 10.

vero brevitatis, quae, in aliqua parte dicendi, magnam habet laudem, a longo tempore conſtanter amans, uno hoc die non ero iuſto longior, ſed, cum mihi non optem adeſſe auditores oſcitantes et dormitantes, pro mea conſuetudine breviter ſimpliciterque dicam. Quocirca neque patientiam veſtram, quam narrandis rebus ante actis non offendam, neque benivolentiam voluntatemque prolixam, ſaepius mihi probatam, multis more oratorum expetam verbis.

De rebus plurimis, ad hoc bonae mentis delubrum pertinentibus, ad annum usque ſeculi ex praeteritis proximi quintum et ſeptuageſimum, fateor, copioſe dixerunt *Fabricius* (*k*) ac *Gaubius*

(*k*) *Franciscus Fabricius* in Oratione in natalem centeſimum et quinquageſimum, ſive annum

bius (*l*), oratores pereximii, cecineruntque *Burmannus* (*m*) et *Royenus* (*n*), poëtae praeſtantiores. Quid ni tamen mihi liceat, neque oratorem agenti, neque poëtis adſcribendo, leviter ea tangere, quae ſunt ab illis vel operoſe dicta, vel ſilentio praetermiſſa? Quis mihi vitio vertat commemorationem rerum earum, quae poſt feſtum ſeculare alterum acciderunt, et adeo ad noſtram aetatem propius accedunt?

Nihilo tamen minus ſi cui moleſtum ſit,

num Iubilaeum tertium Academiae Batavae, a. 1725.

(*l*) *Hieronymus David Gaubius* in Oratione panegyrica in auſpicium ſeculi tertii Academiae Batavae, a. 1775.

(*m*) *Petrus Burmannus* in Carmine elegiaco, Academiae Curatoribus dicto a. 1725.

(*n*) *Adrianus van Royen* in Carmine ſeculari in natalem ducenteſimum Academiae Batavae, a. 1775.

ſit, me hac hora audire, res laetas et triſtes, in hoc eruditionis ſtadio, per centum annos, geſtas verbis popularibus enarrantem, e veſtigio hinc ille ſe proripiat, nec prius revertatur, quam ex hoc ſuggeſto verba faciant viri praeclari, quorum quidem eloquentiam dicendique copiam ſemper admirabar, imitari ſaepe conabar, ratione nulla conſequi poteram, nec per reliquum mei temporis decurſum conſequar.

Magna laudis felicitatisque Academiarum omnium pars eſt, primum, celebritas nominis doctorum, praecipue eorum, qui literarum doctrinarumque vindices et reſtitutores iure ac merito exiſtimantur, deinde, iuventutis ſtudioſae numerus adauctus, undique confluentis,

pos-

postea, virorum illustrium assidua cura in conservandis amplificandisque iuribus doctorum et discipulorum, tum, praesidia varia, quibus literae artesque sustentantur, postremo, proventus disciplinae alumnorum et multorum et egregiorum, Patriae, Ecclesiae, Reipublicae literariae, toti Europae utilium atque salutarium.

Post natam primum et dedicatam Academiam Lugduno Batavam, recte et merito intelligebant homines prudentiores, ad decus illius ac splendorem valere plurimum, non tantum, ut periti disciplinarum quarumvis doctores, cum e Patria, tum e terris peregrinis, praesertim e Galliis, isto tempore summa eruditionis gloria literarumque politiorum usu florentibus, in hanc ingeniorum palae-

stram

ſtram (*o*) allicerentur, verum etiam, ut praeſentia ſua honorificentiſſima muſeum Batavum illuſtrarent viri in tantum laudandi, in quantum eruditio ſumma laudari poteſt, tanquam *Scaliger* et *Salmaſius*, quorum ingenium bonis literis et praeſidio fuiſſe et ornamento, una voce teſtantur Batavi extraneique. Erant autem plures alii, cum tempore *Scaligeri*, tum per ſeculum decimum ſeptimum totum (*p*), qui in hac Palladis

(*o*) Scribit *Wagenaar*, ſed teſte idoneo nullo, tom. VI. Hiſt. Patr. pag. 498, primos Profeſſores, auctore ac ſuaſore *Marnixio Aldegondano*, in Academiam Lugduno Batavam adveniſſe Heidelberga aliisque e locis Germanicis. Erant autem illi, ad unum omnes, aut Belgae, aut Galli, ne unus quidem Germanus. Teſtor ſcriptores, mox laudandos.

(*p*) Nomina Profeſſorum omnium, qui Academiam hanc ab anno 1575 ad finem ſeculi XVII illuſtrarunt, recenſent *I. Meurſius* in Athenis Batavis, ſeparatim ſemel iterumque editis, et repetitis

dis aede dignitatem maieſtatemque cuiusque generis diſciplinarum non vulgarem in modum tutarentur. Sed nec deërant ſeculo ſequenti; qui ſagacitatis induſtriaeque monumentis perennibus et eruditiſſima voce efficerent, ne quid in ullo doctrinae genere iuventus patria et extera deſideraret, quod quisquam ſummo ingenio maximoque uſu cognitum ad perceptum proponere aliis et tradere poſſet. Nolitis, ut hic percurram eorum virorum nomina omnia, qui, ſeculo decimo octavo, ſua doctrina immortalitatem famae ſunt conſecuti, et cum ſua laude laudem huius liberalium artium

tem-

tis vol. X. operum ipſius pag. 470. ſqq.; *Scriptor* libri, cui titulus, Alma Academia Leidenſis, et cuius editor dicitur fuiſſe *I. Orlers*, ut monet *Paquot*, Mémoires tom. XVIII p. 143—145; *M. Soermans* in libello, Academisch Regiſter; et *Fr. Fabricius* in not. ad Orationem panegyricam pag. 10 et 11.

templi late propagarunt. Nolitis, quamvis mecum vehementer gaudeatis, clarissimo huic eruditorum hominum confessui hoc ipso tempore interesse tantae laudis heredes, nolitis tamen, ut, celebrando praesentes, affectare gratiam aliquam, aut iactantius gloriosiusque quidquam facere videar; quocirca, in hac narratione (*q*), totum istud, quantumcumque est, quod sane maximum est, silentio potius praeteribo.

In

(*q*) Ne quid narrationi meae deësse videretur, ad eius calcem reieci seriem Professorum omnium, qui Leidae seculo XVIII literas ac disciplinas quascumque docuerunt. Si quis scriptores, ibidem laudatos, sedulo legat, abunde intelliget, docuisse hic Theologos eruditos, Iurisconsultos eleganter doctos, Medicos experientissimos, Philosophos acutiores, Literarum politiorum omnisque humanitatis doctores praeclaros, sed sua quemque ratione, multum diversa, sed non eodem ingenio iudicioque, sed non eadem doctrinae copia, sed non eodem omnes felici eventu.

In Athenaeis patriis reliquis floruiſſe item viros (*r*) vere magnos, de omni doctrinarum genere ita meritos, ut quocumque pateat laus eruditionis perfectae, gloria ipſorum maneat perpetua, quis negare ſuſtineat? quis talium ac tantorum virorum honori, per vanum gloriationis obtrectationisque ſtudium, quidquam detractum velit? quis non multo magis eosdem, ingenii ſui lumine univerſam rempublicam literariam illuſtrantes, omni obſervantia optimaque ex-

(*r*) Ne aut defunctos plures alios commemorem, aut adhuc dum ſuperſtites; ſeculo XVIII, in Academia *Traiectina*, admirabiles erant *Relandus*, *van Alphen*, *Dukerus*, *Drakenborch*, *Ooſterdyk Schacht*, *I. Voorda*, *Weſſelingius*; *Franequerana* iure optimo gloriabatur de *Vitringa*, *Bos*, *Venema*, *Schrader*, *Manger*; *Groninganam* maximopere ornabant *Offerhaus*, *Schroeder*, *Camper*, *van Lennep*; Athenaeum *Amſtelodamenſe* laudibus illuſtrabant *Francius*, *d'Orville*, *P. Burmannus*; Athenaei *Mediolburgenſis* ornamentum erat *I. Willemſen*.

existimatione habeat perdignos? Neque opus est ad laudem huius Academiae commendandam, ceterarum ut attenuetur et imminuatur celebritas, e quibus ipsis non paucos Professores ad hanc Divinae humanaeque sapientiae sedem, antiqua nominis fama inclytam, non illibenter (s) accessisse, nemo vestrum ignorat.

Unum mihi assentiri censeo omnes idoneos rerum iudices, nos magna ingenia non nisi novarum rerum inventione metiri solere, seculo autem octavo et decimo hic floruisse doctores plures, quales vix singuli singulis nascuntur seculis, qui, viam aut novam primi, aut veterem nova ratione ingressi, literis do-

(s) Quod intelligi poterit ex serie Professorum Leidensium, huic narrationi subnexa.

doctrinisque praeclaram affunderent lucem, atque aliis, viris etiam summis, lumen praeferrent. Paucis duntaxat utar exemplis, sed iis minime controversis, et adeo, quae spes mea est, vestra omnium consensione ita laudandis, ut non difficulter in meam eatis sententiam.

Ineunte seculo, disciplinam sanctiorem hic profitebatur HERMANNVS WITSIVS, Theologus (t) in paucis modestus et eruditus. Ille vero, libris peregregie conscriptis, sed nostra aetate,

(t) Quae fuerit in eo modestia animi, quantum studium pacis charitatisque, postquam iuvenilis ardor deferbuisset, docet oratio de Theologo modesto, et approbant scripta varia. Indidem apparet, ex rei veritate me monuisse in oratione de Theologo erudito pag. 77, WITSIVM non minus facundia, quam vario eruditionis genere, nobilitatum esse. *Aegyptiaca* maximam ei laudem peperisse, Cl. *Saxius* testatur, Onomast. Liter. part. V, pag. 80.

te, cuius ſcilicet felicitas, etiam a Theologis, quotquot ſunt rerum novarum extra modum cupidi, valde praedicatur, nimium vulgo neglectis, quantumvis dignis, qui recentioribus plerisque non modo comparentur, id enim parum ſit, ſed longe multumque anteponantur; ille igitur, aetate provectior, docebat aequales, qua tandem ratione fieret finis contentionum acerbiorum, quibus ſcholae Theologorum Batavae, eo adhuc tempore, in partes ſcindebantur et conturbabantur; quantum emolumenti e cognitione uſuque omnis antiquitatis et hiſtoriarum proficiſceretur ad librorum ſacrorum interpretationem, exemplo ſuo prae aliis oſtendebat; temporisque ſui hominibus, res Divinas pertractantibus, primus ille praebebat Latinitatis exemplum, quod Theologi Batavi in loquen-

do

do ſcribendove imitarentur, et omnes utinam! imitati eſſent.

Inter Theologos, quos aluit Patria noſtra, et muſae Lugduno Batavae admiratae ſunt, IOANNES ALBERTI verba et genera loquendi in codice Novi Foederis e libris veterum Graecorum illuſtrare primus aggreſſus eſt: quod ipſius conſilium quantopere multis deinde aliis placuerit, commonſtrat ſeges eiusdem generis obſervationum uberrima, nec tamen laeta illa ſemper et maturitatem aſſecuta. Obſervationes *Albertinae* (*u*), per

(*u*) Edebantur a. 1725, deinde vindicabantur in Periculo Critico, atque augebantur in notis ad Gloſſarium Graecum in ſacros N. F. libros. Scribit Cl. *Ruhnkenius*, in praefatione ad tomum II Heſychii pag. I et II, animum fuiſſe ALBERTIO, viro uni omnium doctiſſimo et ad literas ornandas nato, obſervationes in N. T. libros largiſſimis ac-

 ces-

per omne illud tempus, quod *Hesychio* edendo postea impendit, diligenter ab ipso emendatae auctaeque, sed huc usque, quod dolemus, in occulto latentes, in lucem publicam si prodierint unquam, apertum erit et perspicuum omnibus, feliciter perfecisse ALBERTIUM, quod primus ipse ex omnibus Theologis Batavis incepisset, atque huic uni plura nos debere, quam multis aliis librorum sacrorum interpretibus, sed Graeci sermonis pariter et Hebraei scientia, usuque artis criticae, sine quibus

prae-

cessionibus locupletare, ac tanto magis dolendum esse, opus illud ab eo perfici non potuisse, quod non solum natura et ingenio, sed etiam disciplina *Lamberti Bos* mire factus erat ad Philologiam sacram ornandam. A Cl. *Wassenbergh*, in laudatione funebri *I. Schraderi* pag. 5, ALBERTI appellatur Theologorum, qui nostra aetate vixerunt, Graece doctissimus. Quod utriusque testimonium qui repudiet, erit nemo, nisi eruditionis laudisque Batavorum lividus obtrectator.

praesidiis interpretatio nulla est, non ita instructis et ornatis.

Quis tam hospes est in historia literaria Iurisprudentiae, quin sciat, ANTONIVM MATTHAEVM fuisse primum, qui, undique colligendis et illustrandis veteris aevi monumentis (v), non minus Iuri Patrio, quam historiis, communem afferret utilitatem; IOHANNEM VOET, luculento (w) commentario in Pandectas, Antecessoribus Batavis et exteris caussarumque patronis omnibus sic lumen praetulisse, ut nemi-

(v) Postquam MATTHAEVS vulgasset Analecta veteris aevi, consiliumque ipsius magna laude esset ornatum, idem fecerunt alii, de Iure publico et historia Patriae praeclare meriti. Conf. *I. Voet* oratio funebris in obitum A. Matthaei, habita a. 1710.

(w) Quo immortale sibi apud Pragmaticos nomen peperisse VOETIVM, scribit *Saxius*, V. C., Onom. part. V, pag. 186.

minem ante ipſum; GERARDVM NOODT et ANTONIVM SCHVLTINGIVM in Republica Batava ſcholae *Cuiacianae*, hoc eſt, elegantioris Iurisprudentiae, inſtauratores principes fuiſſe. Satis erit dixiſſe, in NOODTIO quidem ſpectatam (*x*) eſſe optimam Iuris Romani antecesſoris formam, eumque ab elegantiſſimo *Heinſio* appellari (*y*) virum egregium, qui ſolus inter Iuris antiſtites apud Batavos literarum humaniorum non eſſet rudis, et cuius eruditionem ornaret morum ingeniique elegantia: SCHVLTIN-

(*x*) Dixit *H. I. Arntzenius* a. 1788, Traiecti ad Rhenum, de optima Iuris Romani anteceſſoris forma, in GERARDO NOODTIO, Noviomago, ſpectata.

(*y*) In literis ad *Graevium* a. 1680 datis, tom. IV Sylloges Epiſtolarum *Burmannianae*, pag. 649. — „Quis parem cum G. NOODTIO nominis celebritatem adeptus eſt?" verba ſunt *Camuſati* in epiſtola ad *Maianſium* pag. 238.

TINGIVM vero, una hominum laudatissimorum voce, celebrari (z) virum vere incomparabilem, omnium Iurisconsultorum in Patria principem, alterum *Iacobum Gothofredum*, Batavorum *Cuiacium*.

Intelligitis, vel me non monente, in numerum eorum, qui, non tam ad prae-

ce-

(z) *Quis nostra aetate ad famam* SCHVLTINGII *pervenit?* iure et ex vero rogat idem *Camusatus*. vid. Epistolas *Maiansii* pag. 238. Vocat eum *Vitriarius*, in Oratione funebri, a. 1734 habita, *virum incomparabilem, in quo Academia amisit maximum suum praesidium et ornamentum*; Cl. *Saxius*, Onomast. part. V, pag. 410, et in laudatione *Dukeri* pag. 12, *Batavorum Cuiacium*, *verissimum Bataviae nostrae Cuiacium*; *I. C. Rucker*, *ICtorum post Cuiacium principem*: et Cl. *Smallenburg*, *omnium ICtorum, si Cuiacium excipias, principem*, in praefat. ad notas *Schultingii* ad titulos. *ff. de V. S. et R. I.* pag. III, coll. V et VI. Bene memini, SCHVLTINGIVM ab Ampl. *van Bynkershoek* alicubi dictum esse *alterum Gothofredum*; sed locum iam frustra quaero.

cepta aut exempla magiſtrorum formati, quam ſuo ipſi ingenio firma primum poſuere doctrinarum fundamenta, quibus ipſi magnificum deinde ſuperſtruerent aedificium, inprimis referri oportere BOERHAAVIVM, ALBINVMque et GAVBIVM.

Dicamne de HERMANNO BOERHAAVE, quo vix quisquam hanc Academiam, et ipſum nomen Batavum, maiori illuſtravit gloria, cum, tanquam alter *Hippocrates* (*a*), ſimplicem et naturae conſentaneam Medicinae faciendae rationem in Patria primus commendans, artem ſalutarem brevi ad tantum decus provexerit, ut tota Europa, cuius tamen finibus viri ſummi fama non circum-

(*a*) Primo ſeculi anno dixit *pro commendando ſtudio Hippocratico*, et a. 1709, *de Medicinae ſimplicitate*. Vocatur *Hippocrates redivivus* a Cl. *Saxio* l. c. p. 433.

cumſcripta erat, huic uni Medico, ut ſalutifero (*b*) communis omnium Medicorum praeceptoris genio, lubens ac venerabunda aſſurgeret. Nec mirum. Multos ille magnosque inter Medicos, quibus Schola Batava ab ortu ſuo inclaruit, maximus, parem ſibi nullum habuit, nec vereor addere, parem in omnibus Europae Athenaeis nullum ſua aetate, an unquam? habuiſſe. Non mea auditis verba, ſed *Gaubii* (*c*), quem teſtem huius rei non mediocrem, ſed haud ſcio an graviſſimum, aſpernabitur nemo, niſi qui ex maligne ſuppreſſa viri incomparabilis gloria honorem, ſed inanem iſtum nec aetatem laturum, ſibi ipſe

(*b*) In monumento ſepulcrali haec verba leguntur inſcripta: SALVTIFERO BOERHAAVII GENIO SACRVM. SIMPLEX VERI SIGILLVM.

(*c*) In Oratione panegyrica a. 1775, pag. 47.

ipſe quaerat: quam audaciam in uno item et altero homine, novitatis plus quam veri amante, ex hoc loco ſcite caſtigatam (*d*) eſſe, recenti memoria tenetis. Ampliſſima igitur BOERHAAVII erant merita in artem medendi, nec minora in Chemiam, ad cuius intimos receſſus, per ſociatam admirabili eruditioni et induſtriae plane ſingulari plus quam herculeam laborum tolerantiam, feliciter penetravit, dignus adeo, quem *Gaubius* (*e*), cuius iterum utor verbis,

(*d*) A Cl. *Paradys*, in Oratione de cognitione hiſtoriae Medicinae magno, cum ad Medici in arte exercenda ſolertiam, tum ad artis amplificationem, adiumento, habita a. 1800, pag. 20 — 26.

(*e*) In Oratione, dicta anno 1731, qua oſtenditur, Chemiam artibus Academicis iure eſſe inſerendam. His adiungam verba Cl. *van de Wynperſſe*, de BOERHAAVIO, in Oratione de recentiorum meritis, ſpeciatim Belgarum, in Philoſophi-

bis, annos ante circiter ſeptuaginta verum Chemiae reſtauratorem nominaret. Quid? quod poſt tot nova et tam eximia recentiorum, inprimis *Lavoiſierii* (*f*), inventa, per quae ſtudium Chemiae noſtris temporibus eſt commutatum, verae propriaeque BOERHAAVII hae laudes ſunt ac ſemper manebunt; uti non ita pridem ex hoc ſuggeſto copioſe et graviter dictum (*g*) eſt. Quanta

phiam naturalem pag. 37, 38, ſcribentis: „Chemicam maxime artem excellentiſſimus naturae interpres, quam obſcuram myſticoque ſermone ſalebroſam apud alios invenerat, atque morborum medelae periculoſius adhibitam, ad perſpicua principia redactam et eximie illuſtratam reliquit; eiusque, ut in Medica, ſic in omni naturali diſciplina, verum uſum tradidit. Circa ignem potiſſimum, aquam et menſtrua, eleganter adeo et fructuoſe Phyſicos erudivit, ut ante ipſum nemo".

(*f*) Progreſſus *Antonii Laurentii Lavoiſierii* in arte Chemica, admiratione peritorum dignos, doctiſſimus *I. R. Deiman* Amſtelodami celebravit.

(*g*) A Cl. *Brugmans*, in Oratione de HERMANNI BOER-

ta vero eiusdem fuerint merita et quam insignia in rem Botanicam, quis rectius et maiori cum auctoritate dicat, quam *Linnaeus?* Quo teste (*h*) valde idoneo, BOERHAAVIVS systema Hermannianum cum Rayano et Tournefortiano primus conciliavit, et horto Leidensi, quem descripsit, cum copia tum diligentia absolutior prodiit nullus. Nec me quidem attinet dicere, plantae genus, cuius species pleraeque in Indiis crescunt, a Botanicis, in memoriam eximii huius Botanici, appellatum esse (*i*) *Boerhaviam.*

In

BOERHAAVII meritis in Chemiam, habita d. 1 Nov. 1800, sed huc usque typorum machinis non impressa.

(*h*) In Philosophia Botanica pag. 20, et in Bibliotheca Botanica pag. 102.

(*i*) Vid. *Linnaei* Species Plantarum, tom. I pag. 19—23, editionis novae, curante Willdenow.

In BERNARDO SIEGFRIEDO ALBINO spectabat haec Academia alterum veluti *Herophilum* (*), immo vero, quod maius est, spectabat universa Europa Anatomicorum principem, cui parem nulla dedit aetas, nulla schola ostentavit, nulla dabit superiorem. Quod meum si esset iudicium, merito haberetur nullum; magni contra illud putabitis aestimandum, commonefacti, sic *Gaubium* (*k*) iudicasse. ALBINO igitur, quem recte dixeris (*l*) exemplar optimi

(*) Anatomen *Herophilus* profitebatur Alexandriae ea cum laude, ut nemo maiorem doctrinae suae gloriam habere posse existimaret, quam si ab eo eruditus esset, qui dicitur „ sexcentos exsecuisse, ut naturam (humanam) scrutaretur," vid. *Tertullianum* de anima pag. 312, et ad istum locum notas *Pamelii* pag. 422.

(*k*) In Orat. panegyr. 1775 pag. 56.

(*l*) Cum Cl. *Sandifort*, Introduct. in Museum Anatomicum Academiae L. B. pag. XXII et XXVIII.

mi Anatomici, et cui tabulae quaedam Anatomicae debentur, quales imitari nullus alius potuit, emendare nulla poterit aetas, Anatomiam tantum debere, quantum paucis aut nemini, ſpero, futurum, ut, ſi cui adhuc dubium videatur, certum exploratumque ab aliis praeſtetur.

Audito ſemel atque iterum nomine, non eſt, quod revocem animos veſtros ad memoriam HIERONYMI DAVIDIS GAVBII: qui, ſi nullum aliud ingenii ſagacis monumentum condidiſſet, condidit tamen plura, ſolo Inſtitutionum Pathologiae libro, ob multarum rerum no-

Conf. etiam *P. Luchtmans* in Orat. de Anatomicis ſec. XVIII incrementis pag. 14, 15, 18, 19, et *I. Bruckerus* in Pinacotheca ſcriptorum noſtra aetate literis illuſtrium, Decad. V No. 6 fin.

novitatem in omnibus Europaeis regionibus diu impense laudato, et complures in linguas verso, cum omnium de rebus Medicis bene iudicantium suffragio celebrarentur, immo, severissimorum etiam censorum voce, omnium aetatum huius generis scriptis longe excellentiores (*m*) essent et haberentur, nomen suum ad immortalitatem consecrasset. Nunc vero quis est, qui non probet laudetque *Iani Bleuland*, viri clarissimi, consilium (*n*), cum omnibus, tum praesertim Medicinae studiosis, memoriam GAVBII publice commendantis.

Ve-

(*m*) Sunt ea verba Cl. *Hahn*, laudata a *Bleulando* pag. 30.

(*n*) Habuit enim Cl. *Bleuland*, Harderovici, a. 1792, ediditque Orationem, qua memoria H. D. GAVBII, cum omnibus, tum praesertim Medicinae studiosis, commendatur.

Verum hic ridentes iam videre quosdam videor, atque tacitis mihi cogitationibus insusurrantes audire : nihil ista omnia ad te, Iurisprudentiae artisque Medicae plane ignarum. Recte sane; pudeat ergo me ab eorum iudicio dissentire, si partes doctoris sumere mihi velim, nec tantum narratoris, non sua, sed aliorum spectata fide, referentis ea, quae satis certa et sunt et habentur.

Atque hanc eamdem ob caussam nemo me arrogantiae accuset, adiungentem, vixisse in hoc sapientiae domicilio Philosophos, novis suis utilibusque inventis seculo superiori perpetuam nominis celebritatem consecutos. Non immerito *Relandus*, eleganti vir ingenio, magnifice sentiebat ac graviter dicebat (*o*) de in-

(*o*) Habebatur ea Oratio, Harderovici, a. 1699.

incremento, quod Philosophia ceperat seculo decimo septimo: quae oratio, centum adhinc annis habita, si nunc ab ipso repeti posset, merita Professorum Leidensium, qui Philosophiam universam seculo sequenti docuere, summis certe laudibus celebrarentur. Vos, vestra cogitatione verbis meis anteverten-tes, iucundam habetis recordationem GVILIELMI IACOBI 's GRAVESANDE et PETRI VAN MVSSCHENBROEK: qui, a vano coniectandi studio ad ipsam naturam accurate observandam factisque periculis exquirendam revocati, Physicos veteres ad unum omnes, in naturae scientia meris coniecturis plus tribuentes, quam experimentis, longo post se relinquebant intervallo, magnaque ex parte (*p*) primi

(*p*) Virium vivarum ac percussionis scientiam, ope etiam machinae, quae dicitur columna 's Grave-

mi docebant, quae sunt in rebus Physicis vera et certa. Amplissimus dicendi campus mihi aperiretur, si vellem repetere, quae de 's GRAVESANDIO magna cum cura dixit (q) *Dionysius van de Wynpersse*, Collega honoratissimus, aut quae de MVSSCHENBROEKIO, quem a perito harum rerum (r) iudice dictum novistis virum in arte Astronomica principem *Newtoni*que aemulum, commemo-

vesandiana, egregie illustrabant; antliam pneumaticam duplicem emendabant; veram virium magneticarum indolem novis periculis declarabant; observationum meteorologicarum rationem et usum indicabant augebantque; electricitatis profectus ut essent paene incredibiles, efficiebant, inprimis post inventam a. 1746 lagenam Leidensem, quae in hunc usque diem vocatur.

(q) In Oratione de recentiorum meritis, speciatim Belgarum, in Philosophiam naturalem, dicta Groningae a. 1759, pag. 38, 39.

(r) *I. Lulofs*, in Oratione de causis Astronomiae promotae, pag. 83.

moravit (*s*) *Ravius*, qui ex praeceptoribus meis Academicis ſolus adhuc ſuperſtes eſt, et ut diu vivis interſit, pia grataque mente cupio et opto.

Progrediar iam ad eum locum, qui eſt de meritis Profeſſorum Leidenſium in literas Orientales et Graecas Hiſtoriamque veterem, ſingularibus illis et prope incredibilibus.

Felix huic literarum Orientalium ſacrario, per ſeptuaginta annos continuos, erat gens *Schultenſia*, et in iſto ſtudiorum genere principatum veluti hereditarium tenebat. Quae fuerit literaturae Orientalis conditio ante illud ipſum tem-

(*s*) Orat. panegyrica in natalem centeſimum et quinquageſimum Academiae Traiectinae, pag. 19—21.

tempus, quo ALBERTVS SCHVLTENS, tanti vir exempli, veterem ac regiam primus monſtravit Hebraea docendi viam, ditiſſimis Arabiae theſauris uſus eſt ad germanam ſacri Codicis interpretationem, rem grammaticam Hebraeam ac Syriacam a tot anomaliis commentitiis, quarum mater infauſta eſt ignorantia linguarum, ſtrenue vindicavit, clariſſimoque analogiae lumine colluſtravit; qualis igitur fuerit Orientalis literaturae ſtatus ad tempora *Schultenſiana*, ut a me, poſt alios, denuo dicatur, eo minus neceſſe eſt, quod una illa, quae hodie per univerſam Europam, ſummo eruditorum conſenſu, viget, Orientalium literarum tractandarum ratio, haec (*t*) eſt omnino

(*t*) Teſtis eſto, domeſticus quidem ille, cuius tamen fides a nemine infirmari poſſit, *H. A. Schultens*,

no omnis ab ALBERTO SCHVLTENSIO profecta. Tanti patris vestigia persecutus est IOHANNES IACOBVS SCHVLTENS (*u*), huiusque filius HENRICVS ALBERTVS, paternae et avitae (*v*) eru-

di-

tens, *Alberti* nepos, in Oratione de studio Belgarum in literis Arabicis excolendis, pag. 20, ubi plura huc pertinentia pag. 39 et seqq.

(*u*) Etsi non tot ingenii monumentis publicis nobilitatum, praecelluisse tamen Avo Parentem suum cognitione usuque linguarum Orientalium, maxime Arabicae, non raro professus est *H. A. Schultens*; vehementer dolens, Institutiones Aramaeas, ab Avo edi coeptas, non esse ad finem perductas a Patre, quem unum huic labori parem, se imparem, iudicabat.

(*v*) *Dignissima propago gentis Schultensianae, patre avoque, qui in literis Orientalibus principatum tenuerunt, non minor*, dicitur Cl. *Ravio*, in orat. de poëseos Hebraicae prae Arabum poësi praestantia, pag. 50. Nec dissentiunt *H. de Bosch*, *P. Burmannus* et *M. Temminck*, in egregiis carminibus, laudis domesticae digno heredi H. A. SCHVLTENS dicatis, subnexisque huius orationi de finibus LL. OO. proferendis, publice dictae Amstelodami a. 1774. Quae quidem carmina nisi essent in omnium manibus, digna ea iudicarem, quae hic repeterentur.

ditionis laudisque ex aſſe heres. Triumvirorum illorum exemplar ſibi ad imitandum proponebant diſcipuli optimi et amici, quos inter EVERARDVS SCHEIDIVS (*w*), qui, ſi per vitae longioris uſum licuiſſet, famam ſcholae *Schultenſianae* non mediocriter auxiſſet et amplificaſſet. Veſtrum ſit iudicium, quam vere ALBERTVM SCHVLTENS appellaverit *Ruhnkenius* (*x*) unicum literarum, quas profitebatur, vindicem; *Hemſterhuſius* eum dixerit virum magnis animi, ingenii, ampliſſimae doctrinae pietatisque verae dotibus inſignem, litera-

(*w*) Honorificum *Ravii*, Collegae mihi coniunctiſſimi, de SCHEIDIO teſtimonium legas in orat. laud. pag. 50, 51. Natum eum eſſe ad ornandas literas OO., auctores mihimet erant uterque *Schultens*, pater et filius, *Schroeder*, alii, confirmatque oratio, a. 1793 Leidae habita.

(*x*) In Elogio *Hemſterhuſii*, pag. 42.

rarum Orientalium ſtatorem unicum (*y*); quam vere ſcripſerit, ne aliorum teſtimonia ſimilia (*z*) in medium afferam, *Verſchuirius* (*a*), fuiſſe eumdem communem omnium in Orientalibus magiſtrum, a quo inſtauratae literaturae Orientalis periodus ducat originem.

Quod autem ille in Orientalibus, id eodem tempore in literis Graecis praeſti-

(*y*) Acta Senatus Acad. d. 27 ian. 1750.

(*z*) Tamquam *D. A. Walraven*, in orat. de hermeneutica ſacra cum LL. atque Antiqq. OO. ſtudiis neceſſario copulanda, pag. 43, *S. H. Manger*, orat. panegyr. in auſpicium ſeculi III Acad. Friſiae pag. 25, *H. A. Schultens*, qui, in orat. de finibus LL. OO. proferendis pag. 10, avum ſuum vocat neglecti ſtudii dialectorum OO. vindicem atque inſtauratorem, *N. G. Schroeder*, cum in praefatione ante Obſervationes ſelectas ad Origines Hebraeas, tum frequenter alibi.

(*a*) In oratione, ſubnexa Diſſertationibus Philol. Exegeticis, pag. 198.

ſtitit admirandum TIBERII HEMSTERHVSII ingenium, eas de exilio diuturno, in quod proiectae erant, tamquam reducentis, auctorisque novae ſcholae, quae, de ipſo dicta *Hemſterhuſiana*, maximam in omni republica erudita celebritatem conſecuta eſt, Athenis vero Batavis decus addidit longe lateque ac multum ſplendeſcens. Ex nova iſta ſchola profecti ſunt, cum multi alii, tum LVDOVICVS CASPARVS VALCKENAERIVS et DAVID RVHNKENIVS, viri ſummi, qui honorem eiusdem ſcholae tam praeclare conſervarent et tutarentur, ut nihil ſupra poſſet. Sed quid ego plura? HEMSTERHVSII merita in Graecas literas plane ſingularia animo concipere, et poſteris commendare, perfectiſſimamque Critici formam in eo ſpectandam exhibere,

re, unius erat (*b*) *Ruhnkenii;* RVHNKENIVM, noſtro tempore a viro lauda-

(*b*) Nemo eſt paulo humanior, quin legerit Elogium T. HEMSTERHVSII, a *Ruhnkenio* ſcriptum, quo nihil in omni elegantis doctrinae et eloquentiae genere recentior aetas perfectius abſolutiusque vidit, et in quo formando et Muſae omnes et Gratiae conſpiraſſe videntur. Conf. Cl. *Wyttenbach* in Biblioth. Crit. vol. III. part. 2 pag. 118 ſqq., et in Vita *Ruhnkenii*, pag. 141, 142. In Belgio iterum iterumque, et nuper admodum Lipſiae quoque vulgatum eſt. Scribit autem *Ruhnkenius*, pag. 40 et 42, HEMSTERHVSIVM Graecarum ſcientia literarum omnino omnes, qui inde a renatis literis excellenter in iis verſati ſint, ipſum etiam *Iſaacum Caſaubonum*, cui doctorum hominum conſenſus primas deferre ſolet, longo poſt ſe intervallo reliquiſſe, atque, quod maiores noſtri optarunt magis, quam ſperarunt, et inchoaſſe et conſummaſſe, invenienda veriſſima originum Graecarum ratione. Quin *Ruhnkenius* non dubitabat HEMSTERHVSIVM vocare *Literatorum aetatis ſuae longe principem*, in Actis Senatus Acad. d. 7 apr. 1766. Huic teſtimonio ut plura alia, quae extant innumera, hic adiungantur, nemo deſideret. Unum tamen nolo praeterire. Qui nunquam nimii ſunt et tamquam prodigi in laudandis ingeniis populorum aliorum, magnifice tamen de HEMSTERHVSIO ſentiunt Britanni. *R. Bentley*, ſed quantus vir!

datiſſimo (*c*) dictum Criticorum Principem, ſatis digne celebrare, ſolius erat (*d*) *Wyttenbachii;* VALCKENAERII

vir! dicere non dubitabat *virum eximium*, laudabatque in eo induſtriam, cumulatam eruditionem, iudicii acumen, quae elucebant in editione Pollucis. Vid. epiſtolam *Bentleii*, ſubiectam Elogio T. H. pag. 89, 90. Eas vero notas in Pollucem is ſcripſerat, annum agens aetatis vigeſimum. *Ieremias Markland* anno 1763 commentarium in Euripidis Supplices dedicabat *Hemſterhuſio* et *Weſſelingio*, nec verebatur publice teſtificari, in eruditione eos neminem ſuperiorem habere.

(*c*) Prolegomena ad Homerum *F. A. Wolfius* a. 1795 conſecrabat DAVIDI RVHNKENIO, *Principi Criticorum.* Qui tamen titulus, quamvis valde honorificus et optime merenti adſcriptus, efficere haud poterat, ut erudito libri iſtius ſcriptori in univerſum aſſentiretur RVHNKENIVS; ut patet ex eius Vita, pag. 214.

(*d*) Edita eſt a. 1799, et nuperrime Lipſiae repetita, Vita D. RVHNKENII, auctore *D. Wyttenbachio.* Atque ſic abunde ſatisfactum eſt votis *Hieronymi de Bosch*, viri erudititiſſimi, in dedicatione praefixa tom. III Anthologiae Graecae, pag. XII, ſperantis, fore, ut RVHNKENIO talis propediem contingat laudator, qualem ipſum habuit *Hemſterhuſius.*

RII (*e*) autem nomen et laudes, quam diu literis Graecis ſuus honor manebit ac pretium, non interibunt.

Nefas ſit, cum agatur de doctoribus politiorum literarum praeſtantioribus, tacere IACOBVM PERIZONIVM, qui, teſtibus valde (*f*) locupletibus, veterem hiſtoriam elegantius, quam quisquam

(*e*) Quae dixi de VALCKENAERIO in oratione de ſtudio Hiſtoriae Eccleſiaſticae cum diſciplina Theologica diligenter coniungendo, pag. 46—48, ea hic repetere nihil attinet. Gravioris autem ponderis mecum exiſtimabis teſtimonia virorum clariſſimorum, *Ioannis Luzac*, in oratione de eruditione, altrice virtutis civilis, praeſertim in civitate libera, pag. 32, 33, et *Dan. Wyttenbachii* in Bibl. Crit. vol. III part. 1 p. 75, 76, item in Vita *Ruhnkenii*, pag. 189, 190, 133; quorum alter ſucceſſit in locum *Valckenaerii*, alter *Ruhnkenio* ſuffectus eſt, et qui ambo fuere utriusque diſcipuli et amici.

(*f*) Sunt illi *Ruhnkenius* in Elogio T. H. pag. 21, atque *Saxius* Onom. Lit. part. V pag. 276, et in laudatione *Dukeri* pag. 15.

quam ante eum, tradebat, immo vero perveteris hiſtoriae inſtaurator ſagaciſſimus, feliciſſimus et unicus dici merebatur. Non igitur evanuit ſpes, quam de PERIZONIO, iuvene adhuc, ceperant viri eximii, magna eum minari, maiora praeſtiturum, inſignia ingenii et eruditionis ſpecimina virum praeclarum promittere, et, cum *Gronovii Graevii*que veſtigia haud impari paſſu premere videretur, ad ipſorum celeberrimi nominis famam quoque, niſi fata invideant, brevi ipſum perventurum (*g*).

Quibus auditis, dubium nemini eſſe poteſt, quin hac in Academia ſeculo praeterito floruerint plurimi, qui non tan-

(*g*) Verba ſunt *Graevii* et *Carpzovii*, in Syllog. Epiſtol. *Burmanniana* tom. IV pag. 503, 504, 652, tom. V pag. 330, 331.

tantum ſapientiae Divinae humanaeque officinam magnifice nobilitarent, ſed et, quod caput eſt, literas politiores atque omne genus doctrinarum luce nova colluſtrarent, eademque opera nomen ſuum immortalitati conſecrarent. Haec profecto erant eruditionis lumina et praeſidia, haec Academiae decora et ornamenta, haec illuſtria hominum ingenia, quae per integrum ſeculum antecedens univerſa literatorum reſpublica demirabatur, atque temporum omnium poſteritas nunquam non demirabitur.

Querendum minime eſt, neque immodice dolendum, quod viri, de hac eruditionis domo eximie meriti, poſt diuturnum vitae uſum ac labores feliciter exactos, tandem tamen vitam cum morte commutarunt. In quibus erat

Aegidius Gillisſen, magnum et doctrinae accuratae parataeque et ſeverae ſanctitatis exemplum, qui, cum ad extremam veniſſet ſenectutem, agebat enim annum aetatis octavum et octogeſimum, nuper atque his paucis menſibus, vitae huius miſeriis ac turbis relictis, ad gaudia coeleſtia tranquillitatemque ſempiternam tranſiret, et adeo magis feliciter de vita migraret, quam moreretur.

Eſt autem, quod, duplici praecipue de cauſſa, gravis ſenſu doloris afficiamur. Altera quidem haec eſt. Intra annos viginti et tres, Profeſſores (*h*) qua-

(*h*) Mortui enim ſunt a. 1777 *Hoogvliet*, 1778 *I. I. Schultens*, 1780 *van der Kemp*, 1781 *Nahuys*, 1783 *Scholten* et *van Doeveren*, 1784 *Hahn* et *Rietveld*, 1793 *Damen* et *H. A. Schultens*, 1794 *Scheidius* et *Nieuwland*, 1795 *Voltelen*, 1799 *Broes*; quorum plerique vitam ad annum quinquage-

quatuordecim, eosque inter insigni laude conspicui, qui, DEO si sic visum fuisset, pro salute huius Academiae excubare diutius potuissent, aut in primo ingenii flore, aut optimo aetatis suae tempore, e vita excesserunt. Quem, brevi interiecto spatio, e praematura morte tot tam praestantium hominum accepistis acerbum iustumque dolorem, ne festo hoc die Vos tradatis lacrymis et tristitiae, nolo refricare. Altera vero haec doloris caussa est et origo. Exeunte seculo, effecerunt dissociati civium animi publicarumque rerum fluctus et conversiones, ut, lugente Pallade Batava, moerentibus Musis omnibus, munere suo ac di-

gesimum non perduxerunt. Taceo, per idem illud tempus 23 annorum a vita discessisse tredecim Professores alios, sed aut aetate provectiores, aut senes.

dignitate (*i*) moverentur doctores publici: qui, utinam! in Senatum Academicum reducerentur, et ex hoc ſuggeſto orationes haberent, non immoderatas, non Philippicas iſtas, ſed modeſtas, ſed pacis concordiaeque ſtudio probabiles. Quod ſi fiet, viri quique ſummi, ex Athenaeis patriis vel aliunde huc invitati, rem Academicam adiuvare atque ornare minus recuſabunt, nec deprecabuntur.

Vi-

(*i*) Anno 1788 *B. Voorda* ex officio amotus eſt, ſed, in locum priſtinum a. 1795 reſtitutus, die 7 maii habuit orationem de libertate ſentiendi dicendique Iurisconſultis propria, et in Papiniano ſpectata. Eodem autem anno 1795 e numero Profeſſorum expuncti ſunt *C. Boers*, *F. W. Peſtel* et *A. Kluit*. In principio anni 1796 munere docendae Hiſtoriae Patriae movebatur *I. Luzac;* brevi poſt ultro deponebat provinciam docendarum literarum Graecarum; e decreto Delegatorum Populi Hollandici a. 1797 in integrum reſtituebatur, ſed mox novo decreto vis et effectus decreti prioris ſuspendebatur. Quae in cauſſa *Voordae* ac *Luzaci* acta ſunt, ea plenius diſcas e libris ea occaſione editis.

Videtis, ut fit in narrationibus, aliud ex alio occurrere; ſed pergendum cenſetis ad alteram narrationis meae partem, quae eſt de celebritate Academiae ſeculo decimo octavo aucta ex incredibili iuventutis, hic erudiri non modo, ſed manibus doctorum quaſi fingi formarique ardenter cupientis, ad hanc ſtudiorum palaeſtram (*k*) concurſu, tam e Patria noſtra, quam ex univerſa fere Europa, ceterisque etiam orbis terrarum partibus.

Quo enim tempore *Witſius*, *Tillius*, *Marckius*, *Weſſelius*, *Honertus* uterque, diſciplinam Theologicam tradebant, innumeri huc miſſi ſunt, e terris etiam peregrinis, qui his in doctrina religionis uterentur praeceptoribus. Lectiſſi-

(*k*) Conf. Orationes panegyricae *Fabricii* pag. 32—41, et *Gaubii* pag. 32—36.

ſimus item audientium flos undique ad hanc Themidis ſedem ſe conferebat, qui, quod ſibi aliis in regionibus deëſſe aut ipſi ſentirent, aut ab idoneis aucto-ribus accepiſſent, e lectionibus *Vitria-rii*, *Weiſii* et *Peſtelii* in libera Repu-blica comparare vellent. Nec poterat aliter fieri, quin magna eſſet iuvenum frequentia, qui *Gronovium*, eruditionis laudisque paternae ex parte heredem, ac *Perizonium*, homines doctiores ra-pientem in ſui admirationem, literas bo-nas docentes audirent; qui *'s Graveſan-dii Muſſchenbroekii*que ſcholis Phyſicis intereſſent; qui ſe traderent in diſcipli-nam *Schultenſiorum*; qui denique *Hem-ſterhuſio*, *Valckenaerio* ac *Ruhnkenio* ſtre-nuos ſe praeberent auditores. Poſtquam vero multorum exterorum animis vehe-mens maioris decoris extra patriam conſe-

quen-

quendi desiderium iniecisset schola *Boerhaaviana*, non pauci, post frequentatas iam Academias alias, ab ore *Hippocratis* Batavi pendere (*l*) gestiebant. Pari ra-

(*l*) Quod de se aliisque *Gaubius* testatur in Oratione de Chemia artibus Academicis inferenda, pag. 45, 46. De *Alberto Haller*, Medico celebratissimo, scribit *Bruckerus* in Pinacotheca scriptorum literis illustrium, Decad. IV No. 7 pag. 2, „ Tum praelectionibus Duvernoianis in magni viri, *Hermanni Boerhavii*, introductionem in artem medicam excitatus, et summi istius medici, in perspicienda natura rerum, acumine atque facili methodo commotus, nihil sibi magis proficuum fore in emetiendo medicae artis campo statuit, quam si eundem ducem sibi elegisset. Itaque anno 1725 Lugdunum Batavorum concessit, ut insignem virum tanta cogitationum profunditate naturae et medicinae mysteria pandentem audiret. Id quod *Hallero* utilissimum, *Boerhavio* gloriosum accidisse merito putandum est." De praefervida Britannorum aviditate frequentandi scholas *Boerhaavianas* ut quidquam moneatur, opus non est. Non ergo per adulationem, a qua vir optimus valde alienus erat, sed ex rei veritate, ad *Boerhaavium* a. 1737 scribebat *A. Schultens*, in dedicat. Institut. ad fundamenta L. H. pag. 7, 8, „ Talis tu, tantusque, ut orbi erudito exemplum praestas imitatione ma-

ratione, non modo iuvenes, sed etiam Medici aetate provectiores, ex omni ferme Europae parte Lugdunum Batavorum se conferebant, *Albini* fama allecti, semper deinde gloriantes, se magni Anatomici discipulis fuisse (*m*) adscriptos.

Docent fasti Academici, innumerabilem paene seculo praeterito fuisse civium multitudinem, et Belgarum, et Germanorum, et Gallorum, et Britannnorum (*n*), et Russorum, et Helvetiorum;

maius, ita omnes, qui in te intuentur, laudabili quodam ardore imples, et incendis ad vestigia tua sic procul adoranda, ut tamen ad particulam aliquam tuae gloriae sibi grassandum contendendumque existiment. Attestantur mihi tot capitalia ingenia, ubique nationum regionumque, quae tua disciplina, velut equus Troianus principes, a tot iam retro annis emisit." Magis nota sunt Medicis, opinor, eiusdem *Schultensii* verba in orat. in memoriam *Boerhaavii* pag. 57, 58, hic non repetenda.

(*m*) Vid. *Sandifort*, V. C., l. c. pag. XXXII.

(*n*) Ex insulis Britannicis circiter duo millia civium Academicorum numerantur.

tum; docent iidem fafti, e regionibus (*o*) ceteris remotioribus, quin disiunctiffimis, haudquaquam defuiffe, qui, omnis generis, alii alias, difciplinas addifcendi cauffa, in hoc mufeo commorarentur.

Nec credatis, eos tantum ad literarum ftudia hic incubuiffe, qui ex iis victum fibi cultumque quaererent. Civibus enim Academicis, per totum iftud feculum, inprimis tamen tempore *Vitriarii*, annumeratos novimus viros perilluftres quam plurimos (*p*) et Prin-ci-

(*o*) Tamquam e Suecia, Dania, Norvagia, Lufitania, Hifpania, Sicilia, Italia, Armenia, Graecia, Palaeftina, Arabia, rel.

(*p*) Etfi enim, quod canit poëta fatyricus, Nobilitas fola eft atque unica virtus, verum eft, nemo tamen prudens negavit unquam, ad decus et fplendorem Academiarum pertinere, quando ad eas, literarum cauffa, plurimi accedunt iuvenes fummo lo-

cipes (q), in iisque ante hos duodecim

loco nati, non illi generis antiqui nobilitate se insolenter efferentes, sed qui, maiorum insistentes vestigiis, gloriam gentis suae propagant, et perillustrium maiorum imaginibus excitantur ad laudabilem Patriae Libertatisque avitae amorem, ad colendam eruditionem, ad omne virtutis genus, animis generosis dignum. E fastis Academicis didici, ex omnibus fere Europae regnis et rebuspublicis seculo XVIII Palladem Leidensem salutatum venisse ingentem copiam Nobilium, qui hodie vulgo dicuntur Barones, Equites, Comites, Vice-Comites, Marchiones, aut similibus honorum titulis. Ex eo genere plures quam triginta uno anno 1724 inscripti sunt cives albo Academico. Conf. Orationes panegyricae *Fabricii* pag. 38—41, et *Gaubii* pag. 30—36, ubi plura, huc facientia. Unum adiungam, ex quo intelligant cives Leidenses, quantum emolumenti inde huic urbi accesserit. Quosdam ex illo studiosorum genere plurimi alii comitabantur. Anno 1737 lateri Christiani et Friderici Comitum Spanhemiensium, sive Sponhemiensium, adhaerebant, praeter novem famulos, ephorus, cubicularius, duo camerarii, duo a secretis, studiorum rector, archiater, et, quod exemplum rarissimum est, unus a concionibus sacris.

(q) Albo civium Academiae adscribi sua nomina voluerunt seculo XVIII Principes Frisiae Orientalis, Esterhazi, Mansfeldensis, duo Lichtensteinii, Has-

cim annos Principem (*r*) Iuventutis Batavae.

Unde vero factum sit, ut numerus ci-

Hasso Homburgicus, Hasso Darmstadius, Strelitio Megapolitanus, Nassavio Weilburgensis, quatuor Gallitzinii, Lubomirski, Wolkonskoy, Kourakin, Hawansky, et, ut taceam reliquos, Princeps de Yousfoupoff, Graece doctissimus, cui, hac praecipue de caussa, Cl. *Valckenaer* a. 1779 dedicavit Theocriti, Bionis, et Moschi carmina bucolica.

(*r*) Anno 1789 iisdem solemnibus, quibus solent alii in ordinem studiosorum referri, atque in aedibus Rectoris, civibus Academiae adscriptus est *Guilielmus Fredericus Princeps Arausionis et Nassaviae hereditarius*, urbis Bredanae eo tempore rei militari praefectus, *cet.*, strenuumque se praebuit auditorem Professoribus celeberrimis *Pestel*, *van der Keessel*, *Sandifort*, *Kluit* et *Damen*. Quanta enim diligentia et quam egregio exemplo in studia literarum Serenissimus Princeps incubuerit, testatur dedicatio, quam Cl. *van der Keessel* praefixit Orationi suae de studio Iuris Civilis ad bonos mores formandos et virtutem colendam aptissimo. Augur vanus ergo non omnino fuit *Gaubius*, in Orat. paneg. pag. 63, 64, Celsissimum Patrem Filios, cum adoleverint, in disciplinam almae matris Leidensis traditurum.

civium, literarum ſtudiis dicatorum, ab aliquot annis, fieret infrequentior, ſi fortaſſe quis quaerat; longum ſit, nec ab omni invidia liberum, eius rei cauſſas ad unam omnes iam exponere. Potiſſimas tamen paucis indicabo. Principes quidam exteri lege (*s*) cavebant, quo conſilio, non diſquiram, cavebant tamen, ne cives, ſuo imperio ſubiecti, patria exirent, Academias peregrinas Batavasque frequentaturi. Ex Hungaria et Poloniis quondam plurimi huc mittebantur, qui, aut propriis ſumtibus, aut aere Batavorum publico ſuſtentati, bonis literis et praeſertim diſciplinae ſanctiori ſedulam navarent operam: quo item fiebat, ut vera religio et eruditio iſtis in regnis propagarentur, atque bona, quae hanc Academiam magnopere com-

(*s*) Conf. *Gaubius* l. l. pag. 32, 35.

commendent, invidendis laudibus ad exteras terras perferrentur. Noſtro autem tempore nemo Polonorum, nemo Hungarorum, vel adeſt, vel adeſſe poteſt. Accedit, eam eſſe, aut brevi futuram, niſi DEVS benigna et provida cura avertat, longe maioris partis Eccleſiae Chriſtianae in Patria noſtra conditionem, ut parentes plures in iſtam abducantur opinionem, minus e re ſua atque filiorum eſſe, ſtadium Theologicum ut iuvenes ingrediantur. Accedit alia calamitas ex perverſa ſtudendi ratione, quam plerique noſtra aetate ſtudioſi minus prudenter ſequuntur. Futuris Theologis, et iis quidem non omnibus tardioris et hebetioris ingenii, olim ſexennio vel minimum quinque annorum ſpatio opus eſſe credebatur, ut primum literis humanioribus et variis philoſophiae partibus

bus erudirentur, deinde ad disciplinam Theologicam accederent, atque hac ratione curriculum Academicum rite ac legitime conficerent; sed ea nunc est plurimorum felicitas, dicam an, infelicitas, ac tanta scilicet est hodie studii Theologici facilitas, ut duo tresve aut ad summum quatuor sufficiant anni, quibus omne genus doctrinarum iuvenes imbibant, vel potius primoribus attingant labris, ad laudem Theologi eruditi (*t*) neque contendentes, neque eamdem assecuturi unquam. Qui vero Iurisprudentiae elegantiori multos annos dent operam, literasque politiores in magno habeant honore, et adeo in societatem laudis *Schultingianae* veniant, esse hoc tempore

(*t*) Quibus viis ad hanc tantam laudem perveniatur, dixi in oratione de Theologo Erudito, habita a. 1790.

re rariores, magis dolendum, quam mirandum (*u*). Pauciores cur hodie sint auditores Iuris Publici, praesertim Germanici, cuius praecepta vix alibi, quam in libera Batavorum Republica, quondam tradita novimus, nunc quoque in Academiis exteris docentur, non attinet memorare. Qua autem de caussa minus frequens sit hodie iuvenum numerus, qui Iuris Privati studio cupiant imbui, dicant, qui possint ac velint. Cultorum Medicinae esse affluentiam, novimus et gaudemus omnes, sed et eam

(*u*) Non uno item et altero anno comparari Iurisprudentiam elegantiorem, cuius laudem assecuti sunt *Cuiacius*, *I. Gothofredus*, *Noodt*, *Bynkershoekius*, *Schultingius*, *I. Voorda*, et pauci eorum similes, est intelligere, cum aliunde, tum ex orationibus *Schultingii* de Iurisprudentia Historica, atque *Smallenburgii* de praecipuis elegantioris Iurisprudentiae Romanae subsidiis.

eam maiorem futuram, ſi cuncti exemplum paucorum ſibi imitandum proponerent, primosque annos Academicos literis darent, quae ad humanitatem pertinent, praeſertim Graecis, et adeo conſilium (*v*) *Vulcanii*, de ratione inſtituendi ſtudii Medici amico ſuo datum, reapſe approbarent.

Quidquid id eſt, nemo unus dubitat, quin Pallas, audax proeliis, diu impe-

(*v*) Inter epiſtolas *Bonaventurae Vulcanii*, quas MSS. aſſervat Bibliotheca Lugduno Batava, legitur una, qua conſilium de ſtudio Medicinae continetur. Scripſit eam Lovanii a. 1556, iuvenis duodeviginti annorum. Haec epiſtola, magna certe eius pars, lectu digna eſt, ſed, quantum perveſtigare mihi licuit, nunquam edita. Nullus dubito, quin magnus *Boerhaave*, literarum Graecarum ipſe amantiſſimus, ſi legiſſet, eam collaudaturus fuiſſet. Quo inprimis nomine gratum fore Medicinae cultoribus opinor, epiſtolam, e *Vulcanii* autographo deſcriptam, narrationi meae annexam videre.

pedierit, quo minus ad templum hoc Palladis, ingeniorum et difciplinarum praefidis, plures adirent Medicorum filii ex infulis praecipue Britannicis, quorum antehac feges laeta erat et fecunda. Ineunte hoc feculo, Mars impius toto terrarum orbe furere definat! Poft diuturna bella magnasque turbas ac difcordias, pax aequa et firma placidaque tranquillitas omnibus omnino gentibus terra marique (*w*) reddatur, ne plus

(*w*) Has annotationes fcribenti, laetus mihi affertur nuncius de conditionibus pacis optatiffimae Gallos inter et Britannos, quam ftabilem et populis omnibus communem effe iubeat DEVS O. M., cui ponatur ara, his verbis infcripta: יהוה שלום, uti a Gideone factum narratur Iudic. VI. 24. Effigiei autem cuiusque eorum, qui, rem fic gubernante DEI numine, pacis fuafores et auctores fuere, adfcribatur titulus, ftatuae Caefarls quondam infculptus, et ad quem in narratione refpiciebam: ΤΗΝ ΕΙΡΗΝΗΝ ΕΣΤΑΣΙΑΣΜΕΝΗΝ ΕΚ ΠΟΛΛΟΥ ΣΥΝΕΣΤΗΣΕ ΚΑΤΑ ΤΕ ΓΗΝ ΚΑΙ ΘΑΛΑΣΣΑΝ, *Pace*

E *poft*

plus iacturae ac damni capiat genus humanum, respublica literaria, haec Academia! Quae spes nostra pacis si evanescit, et bellum trahitur, haec sit iuventutis studiosae militia, haec tantum certamina, ut alter alterum et literis et virtute antecellat ac vincat.

Est interim, quod laetemur, interitum Academiae Brabantinae huic nostrae, uti assolet, non parum incrementi attulisse, numerumque civium adauxisse. Belgicarum Academiarum antiquissima (x) Lo-

post diuturnas turbas terra marique restituta. vid. *Appianum* lib. V de bell. civil. cap. 130, pag. 880.

(x) Condita est a. 1426, auctore Ioanne IV, Duce Brabantiae, qui a Martino V, P. R., impetrabat, ut iuventus in ea omne artium ac disciplinarum genus, praeter solam Theologiam, doceretur. Post annos autem quinque etiam hoc Lovaniensibus concessum est ab Eugenio IV, P. R.

Lovanienſis erat; per quatuor ſecula et amplius florentiſſima, qua iuribus honoribusque, qua civium multitudine, eaque tanta, ut, uno eodemque ſeculi decimi ſexti anno, ultra ſex millia (y) ſtudioſorum Iuris numerarentur; ſed paucis abhinc annis prorſus exſtincta. Quo exemplo cernimus, Academias etiam mori poſſe. Ante conditam hanc Muſarum ſedem, plerique Batavi, ſtudiorum cauſſa, ob propinquitatem loci celebritatemque doctorum, Lovanium ſe conferebant. Poſt deletam Lovanienſem, Brabantini Flandrique, nec ſine magno ſuo emolumento, quod ipſi ſaepius mihi affirmabant, in Academiam Batavam coeperunt ventitare. Quam diu ergo docto-

rum

(y) Quod ab oculatis teſtibus accepiſſe ſe ſcribit *I. B. Gramaye* in Lovanio, pag. 26.

rum difcipulorumque Lovanienfium iura omnia et immunitates, prudenti fapientum hominum confilio, farta tecta confervabantur, caput Academia multis decoribus efferebat fupra plerasque Europaeas; fed poft auditam *Vargafii*, hominis truculenti rerumque omnium, nifi acerbae damnationis innocentiffimorum, plane rudis, vocem (z) Latino-barbaram, *non curamus veftros privilegios*, quibus tamen manentibus, fi quid in rebus humanis certum eft, deleri Academia non potuerat, negligebantur doctores eorumque difcipuli, ipfa eruditio in contemtum adducebatur, Academia modo ad occafum interitumque appropinquare et ruinam minitari videbatur, modo ad tempus efflorefcebat, modo langue-

(z) *Bor* Nederl. oorlogen, Authent. ftukken, II deel, bl. 79.

guebat, tandem morte violenta peribat. Quod Lovanienſi accidit, accidat nunquam Academiae Batavae!

Sed, ut eo revocetur, unde huc declinavit narratio; a condito illuſtri hoc eruditionis templo, eam ſemper DEVS dederat mentem Curatoribus prudentiſſimis, dedit etiam ſeculo octavo et decimo fautoribus literarum (*a*) benivolentiſſimis, Academiae conſtituendae et ornandae praefectis, ut illam incolumem ſervarent, decus eius cauſſamque ſuo praeſidio tuerentur, dignitatem vindicarent, immunitatem defenderent, iura ac privi-

(*a*) Syllabum Curatorum Academiae ſeculo XVIII ſubiiciam huic narrationi; omiſſis tamen nominibus Conſulum Leidenſium, qui erant Collegae Curatorum, et aliunde ſatis noti ſunt.

vilegia amplificarent, gloriam propagarent. Fruſtra quidem laborarant anno ſeculi decimi ſeptimi primo et trigeſimo, ne in urbe Amſtelodamenſi (*b*) conderetur Athenaeum Illuſtre; ſed magis ex voto ipſorum ſuccedebant conatus anno ſeculi ſequentis decimo et undecimo, ne eiusdem generis Athenaeum conſtitueretur (*c*) Hagae Comitum. Cum vero *Petrus Mogge*, vir Conſularis urbis Zierïczeënſis, anno milleſimo ſeptingenteſimo quinquageſimo ſexto mortuus, teſtamenti tabulis voluntatem ſuam conſignatam reliquiſſet, ut ea in urbe conderetur Academia, atque huic conſilio

(*b*) Rem narrant *D'Orville* Orat. in centeſimum natalem Illuſtris Athenaei Amſtelodamenſis, pag. 16—19, *Wagenaar*, Beſchryving van Amſterdam I Deel, bl. 522, 523, II deel, bl. 370, 371, et *van Mieris*, Beſchryv. van Leijden II deel, bl. 569.

(*c*) Legatur iterum *van Mieris* l. c., inprimis in Handvesten en Privilegien der ſtad Leijden, bl. 553—577.

lio exſequendo deſtinaſſet e bonis ſuis quadringenta et viginti millia florenorum, Curatores Academiae, eorumque conſilio et hortatu Ordines Hollandici, nihil omittebant, quo efficeretur, ne generoſae *Moggii* voluntati ſatisfieret, neque adeo Academia exſtaret in Zeelandia. Iurene an iniuria id factum eſſet, diu multumque (*d*) diſputabatur. Unum ego quidem ſignificare volebam, Curatores quavis occaſione idonea operam dediſſe, ne quid detrimenti caperet res Academica. Quid mirum? Plerique fuerant ipſi Academiae cives laudabiles; multi, bonis artibus ad omnem humanitatem exculti, variae eruditionis laude florebant; immo vero nonnulli literarum in-

(*d*) De rebus per hanc occaſionem geſtis, quantum quidem eae publici iuris factae ſunt, qui plura ſcire deſideret, legat Brieven van *I. Guepin* en *I.*

ingeniique monumentis insignioribus immortalitatem nominis consequebantur. A viris tam egregiis non poterat non exspectari omnis favor in homines literatos, omne studium in rem Academicam; quae quantum debuerit assiduis eorum et gravibus curis, appariturum omnibus spero et confido, cum, ex instituti ratione, de eximiis auxiliis ac praesidiis, quibus literae artesque sustentatae sunt et frequenter auctae, breviter strictimque dixero.

Ad

I. Wagenaar, achter het Leven van dezen, bl. 133—141; Nederlandsche Jaarboeken, X deels 2e stuk, bl. 1188 — 1191, Nieuwe Nederl. Jaarboeken, III deels 2e stuk, bl. 918 — 1093; Memorie tot betoog van het recht, Hunne Ed. Mog. de Heeren Staaten van Zeeland competeerende, omme binnen denzelven Lande, des goedvindende, eene Academie te stigten en erigeeren; Betoog van Zeelands regt tot het stigten eener Hoogeschole, door *Pieter Paulus*, Leijden 1775: Bibliotheca Bremensis nova Cl. III fasc. 1 pag. 188. Quae autem in hoc negotio acta essent inter paucos primores Hollandiae Zeelandiaeque, ad aures rimosas non pervenerunt.

Ad honorem Academiae bene confti-tutae quin apprime faciat Bibliotheca publica, largo librorum cuiusque generis editorum fcriptorumque apparatu inftructa, ad quam doctoribus et difcipulis, fua ut alant ftudia, pateat aditus, fcio ambigere neminem. Quae fuerit tenuis origo, quale per duo fecula incrementum, quanta nunc fit Bibliothecae Batavae praeftantia, quam fedula femper fuerit cura praefectorum (*e*) eiusdem, a tempore inde *Iani* illius *Doufae*, qui eorum primus exftitit, ex hoc ipfo vel huic vicino loco ante me dixerunt *Heinfius*

(*e*) Poftquam Bibliothecae praefuiffent *Ianus Doufa*, pater et filius, *Paulus Merula*, *Daniel Heinfius*, *Antonius Thyfius* et *I. Fr. Gronovius*, munere Praefectorum Bibliothecae, quos vocant Bibliothecarios, perfuncti funt feculo XVIII *Fredericus Spanhemius*, *Wolpherdus Senguerdius*, *Petrus Burmannus*, *Abraham Gronovius*, *David Ruhnkenius* et *Daniel Wyttenbachius*.

ſius (*f*), *Burmannus* (*g*), *Fabricius* (*h*) et *Gaubius* (*i*). Quanto autem gaudio hi cumulati fuiſſent, ſi praeſentire potuiſſent, eandem Bibliothecam, ab ineunte ſeculo decimo octavo valde (*k*) auctam,

(*f*) In orationibus pag. 83 ſqq.

(*g*) Orationum pag. 483 ſqq.

(*h*) In Oratione panegyr. a. 1725, pag. 5 et 6 annotationum.

(*i*) Orationis panegyr. a. 1775 pag. 39, 40.

(*k*) Praeclara ad Bibliothecam facta eſt acceſſio a. 1715 ex legato *Perizoniano*; a. 1730 e ſupellectili libraria *Hulſiana*; a. 1721 e muſeo *Lipſiano*, publice Hagae Comitum diſtracto: ut patet etiam e Catalogo Bibl. L. B. pag. 492—494, 529—534. Liberalitatem eorum, qui ad annum usque 1775 Bibliothecam auctam voluerunt, paucis laudavit *Gaubius* in Orat. pan. pag. 40. Adiungam nonnulla. De legato *Papenbroekiano* et *Stolpiano* dicetur infra. Bibliothecae feliciter evenit, fortaſſe non niſi ſemel obtinuiſſe locum, quod contigit anno 1726. *Chriſtophorus van Campen*, Medicus et Iudex Bredanus, huic Academiae legaverat quidem teſtamento priori bibliothecam ſuam Medicam; ſed famam eius rei perva-

ctam, etiam feculo hoc exeunte magna veterum codicum fcriptorum atque annotationum, quae viris fummis debentur,

vagatam, eo gratiorem, quod fimilis legati beneficio hactenus non gravifa erat Academia, fupprimebant teftamenti recentioris tabulae, quibus Medicus iubebat, ut bibliotheca poft mortem fuam traderetur Bredanis. — Anno 1756 tota fupellex libraria *Profperi Marchand*, uti teftamento voluerat, ceffit Bibliothecae Leidenfi. — Libros fuos Anglicos et numos aliquot hiftoricos anno 1760 Academiae legavit teftamento *Richard Harris*, Centurio Britannicus. — *Gerardus Riemersma*, I. V. D., Senatum Academicum fcripferat heredem fuorum bonorum omnium, fub tot tamen tamque diverfis conditionibus, ut Senatus, cum ipfe folus ad eas defcendere neutiquam poffet, anno 1770 ac fequenti multum deliberaret de hereditate adeunda vel repudianda. Metus erat multarum ac gravium litium, e teftamento adiectisque conditionibus oriundarum. Quocirca anno 1772 de luculenta hereditate transactum eft cum defuncti confanguineis heredibusque legitimis, hac lege, ut pars hereditatis, ad decem et fex millia florenorum, cederet Senatui Academico, et ut ea fumma diftribueretur in Profefforum ordines quatuor, Facultates vulgo vocantur, quorum quisque annuos reditus fuae partis impenderet emendis libris in ufum publicae Bibliothecae.

tur, copia eximie locupletatum iri. Etenim e *Schultensiana* bibliotheca (*l*) in publicam, iure emtionis, pars magna codicum ſcriptorum Orientalium migravit, quos *Schultensii*, avus et pater, longa annorum ſerie undique congeſſerant. Publico item aere acquirebantur libri quam plurimi, aut ſcripti, aut collatione veterum codicum notisque eruditorum hominum aucti, quorum ante domini fuerant *Gronovii* (*m*), *Schultin-*

(*l*) Vid. Oratio *Scheidii*, a. 1793 habita, pag. 13 (*).

(*m*) Quando pars minime poſtrema bibliothecae *Gronovianae*, hoc eſt, quam *Ioannes Fredericus*, *Iacobus*, *Laurentius Theodorus* et *Abrahamus Gronovius* collegerant, anno 1785 vendebatur, ex ea libri quam plurimi, ſive MSS., ſive ob adſcriptam lectionis varietatem e veterrimis codicibus praeſtantiores, ſive notis MSS. doctorum hominum ditati, parvo pretio vindicabantur Bibliothecae publicae. Conf. Vita *Ruhnkenii*, pag. 191, 192. Supellectili huic librariae *Gronoviorum* ſaepe ſtatutum erat pretium

tingius (*n*), *Burmannus* (*o*), *Schraderus* (*p*), *Hemsterhusius* (*q*), *Ruhn-*

tium triginta vel quadraginta millium florenorum, sed venundabatur ea pretio exiguo, ne quidem ter mille florenorum.

(*n*) Loquor de duobus exemplaribus *Corporis Iuris*, quibus suas adscripserat observationes *Antonius Schultingius*, stupendae eruditionis thesaurorum nomine insignitas. Plura legas in praefatione *Smallenburgii*, V. C., ad notas *Schultingianas* in titulos D. de V. S. et R. I., pag. 4—6; qui spem mihi fecit certam de reliquis elegantissimi Antecessoris annotationibus a se edendis.

(*o*) Ex bibliotheca *Petri Burmanni* secundi a. 1779 non pauci libri scripti editique, emtionis iure, in Bibliothecam Academicam traducti sunt.

(*p*) Idem dicendum de bibliotheca *Ioannis Schraderi*, a. 1784 Franequerae divendita.

(*q*) Etsi enim spes de acquirendo omni thesauro annotationum *Hemsterhusianarum* rata facta non est, ut intelligi quoque potest e collatione eorum, quae *Ruhnkenius* in Elogio T. H. pag. 68 et *Wyttenbachius* in Vita *Ruhnkenii* pag. 132 monuerunt, multi tamen scriptores Graeci et Latini, quorum margini observationes et emendationes *Hemsterhusius* alleverat, a. 1791 care redemti, iam in Bibliotheca publica asservantur.

Ruhnkenius (*r*) et *Santenius* (*s*). Nec dubitare fas erat, quin e bibliothecis aliis, quas brevi post venundari iuberent heredes (*t*), Lugduno Batava accessionem denuo esset adeptura. Taceamne libe-

(*r*) Tota supellex literata *Davidis Ruhnkenii*, locuples illa, cum optimis libris, tum ipsius adversariis et scriptis, tum vero ineditis veterum codicum exemplis, anno 1799 legibus aequis illata est in Bibliothecam Lugduno Batavam. Conf. Vita *Ruhnkenii* pag. 67, 68, 265, 293, 294. Quanti sint pretii exempla ista inedita, ducta e codd. MSS. praestantium bibliothecarum Gallicarum, Italicarumque et aliarum, possim equidem adiungere, cum ipse, brevi ante obitum *Ruhnkenii*, eo humaniter rogante et verba plerumque praeeunte, quoniam scribendi officio oberat dexterae manus tremor, catalogum eorum MSS. omnium lubens conscripserim.

(*s*) Quando bibliotheca *Laurentii van Santen* a. 1800 sectione publica venibat, augebatur Leidensis.

(*t*) Factum id inprimis est e bibliotheca *Petri Bondam*, e qua in Academicam transiit insignis illa collectio veterum Grammaticorum cum collatione codicum MSS. notisque virorum eruditorum.

beralitatem *Cornelii van Oudendorp*, Theologi ſupra vulgarem modum (*u*) eruditi, ex cuius legato partem praeſtantiorem ſupellectilis librariae, quam ſibi *Oudendorpius* pater collegerat, atque adeo luculentam copiam aut ſcriptorum codicum, aut editorum, ſed cum veteribus codicibus diligenter collatorum, atque doctorum hominum annotatione abunde excultorum, in Bibliothecam publicam tranſiiſſe (*v*), non

uno

(*u*) Talis ille erat iudicio *Ruhnkenii* in praefatione ad *Appuleii* Metamorphoſes pag. VI.

(*v*) Vana igitur non fuit ſpes *Ruhnkenii*, ibid. pag. XI. Simul ad notitiam omnium pervenerit deſcriptio huius legati, mirabuntur certe eiusdem praeſtantiam. Vix eſt ſcriptor Romanus, qui deſtituatur aut collatione codd. MSS., aut obſervationibus criticiſque coniecturis ineditis. Nec deficiunt ſcriptores Graeci, ſimili ratione illuſtrati. Memorabilis praefertim eſt apparatus *Appuleianus*, quo quis eruditus ut quam primum utatur, literarum cauſſa optandum.

uno ſane eſt nomine, quod impenſe gaudeamus. Utinam multitudini librorum capiendae ordinatimque diſponendae ſufficeret atrii ſpatium! Ante hos quinque et viginti annos perſuaſiſſimum *Gaubius* habebat (*w*), deſiderio novae aedis librariae et ſpatioſioris conſtruendae pleniſſime tandem, patrocinio Curatorum, iri ſatisfactum. Spem fefellit eventus in hunc usque diem. Hinc novae ſubinde exoriebantur (*x*) querelae. Quod igitur fieri nequibat ſeculo praeterito, utinam hoc novo (*y*) Bibliothe-

(*w*) Orat. panegyr. pag. 40.

(*x*) In Vita *Ruhnkenii* pag. 166.

(*y*) Non ita diu poſt recitatam hanc narrationem, laetus accepi, Ampliſſimos Academiae Curatores et aedes ampliores ſibi vindicaſſe, et *Meinardo Tydeman*, viro praeclaro mihique a iuventute noſtra coniunctiſſimo, demandaſſe provinciam novum Bibliothecae publicae et accuratiorem conficiendi catalogum, conſilio Bibliothecarii.

theca ex his loci anguftiis in domicilium amplius traducatur, ordine concinno difponatur et explicetur, atque catalogus (z) totius fupellectilis librariae, quam tantopere auctam effe narravi, ad noftra usque tempora perducatur!

Multa ut dicam, aut de Horto Botanico, aut de Theatro Phyfico et Anatomico, non defideratis. Nec tamen tacenda funt omnia.

Poft

(z) Bibliothecae publicae catalogos quinque, variis temporibus fcriptos, indicavit Ampl. *van Royen* in commentario MS. de origine et incremento eiusdem Bibliothecae, anno 1741 Curatoribus, quibus erat a fecretis, infcripto traditoque. Primus auctorem habebat *P. Merulam* a. 1607, fed typis non excudebatur; alter a *Daniele Heinfio* fcriptus iurisque publici factus eft a. 1612; tertius curante *eodem* prodiit a. 1640; quartus editus eft a. 1674, quando *Fred. Spanhemius* orationem habuit in nova aufpicia Bibliothecae Lugduno Batavae; quintus ftudio *W. Senguerdii* et aliorum vulgabatur a. 1716, eique adiiciebatur appendix librorum, qui ab eo tempore ad a. 1741 Bibliothecae accefferunt.

Post aliorum (*a*) studium in rem Botanicam, Hortus Academicus seculo praesertim octavo et decimo, *Boerhaavii* primum, deinde curis *Royenorum* (*b*) et *Brugmansii*, quovis plantarum et arborum genere, ab omni telluris plaga petitarum, refertus est atque exornatus; e sententia vero et voto (*c*) *Boerhaavii* semel ite-

(*a*) Seculo nempe XVI et XVII, *Caroli Clusii*, *Arnoldi Syen*, *Pauli Hermannus*, ac similium.

(*b*) Erant illi *Adrianus* ac *David van Royen*.

(*c*) Haec eius sunt verba, in dedicatione Indicis plantarum in Horto Academico a. 1720: „ Publice fas sit mihi dicere, nullum in toto terrarum orbe coli Hortum, qui hunc vestrum superet, seu quis numerum putaverit stirpium, aut singularem plurium pulchritudinem, sive concinnitatem ordinis consideret, unde utilitas sane uberrima dimanat. Mirabuntur, scio, qui haec legere non fastidiunt, tam exiguo parvi Horti agello tot arctari plantas. Res tamen ipsa se ita habet. Sed et facit interim haec penuria soli curae mihi magnitudinem profecto et anniversarii laboris semper integrationem. Si auderem igitur, unum orarem, quando ter iam fundum a condito Horto protulistis, ad moenia denique ur-

ſterumque dilatatus (*d*); conſervandis et alendis plantis, maxime peregrinis, maior conceſſa cura, et nullis parcitum eſt ſumtibus; a paucis autem annis ad ordinem, a *Linnaeo* praeſcriptum emendatumque, Hortum Botanicum apte diſpoſitum eſſe, ſcimus omnes.

Theatrum Anatomicum, ſectioni cadaverum locus et aptiſſimus et ampliſſimus, ante triginta circiter annos ab antiquis ſordibus perpurgabatur, eleganterque inſtaurabatur, quin etiam poſtremo

urbana extendere cum ut velitis: caperet ita pulchrius liberiusque aleret herbas; daret locum ſpecioſis adhuc pluribus conferendis, quas promittere auſim; poſtremo, decori Academiae atque Reipublicae inſignius reſponderet."

(*d*) *F. van Mieris*, Beſchrijving van Leijden II deel, bl. 549.

mo feculi anno, ad iuvandum Anatomes ſtudium, utiliter amplificabatur.

Ad ingreſſum Theatri Phyſici, quod erat primum anno ſeptuageſimo quarto feculi decimi ſeptimi dedicatum Philoſophiae naturali, mechanicis inſtrumentis illuſtrandae, et a longo tempore inſtrumentorum optimorum ad facienda experimenta praedives eſt, inprimis poſt *'s Graveſandii* obitum, cuius ſupellex omnis, ad Phyſicam pertinens, et ea valde praeſtans, emtionis iure Academiae vindicabatur; ad introitum igitur iſtius Theatri, quotidie mecum legere poteſtis, illuſtres Academiae Batavae Curatores ac Leidenſes Conſules anno milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo tertio illud inſtauraſſe, auxiſſe, et pretioſiſſimo apparatu ornaſſe (*e*).

Di-

(*e*) Inſcriptio legi poteſt apud *F. van Mieris* l. c. bl. 548.

Dicamne de rebus innumeris, aut ad Anatomiam pertinentibus, aut ad Chirurgiam, aut ad Chemiam, aut ad Historiam naturalem, aut denique ad Astronomiam? Istas quidem omnes sigillatim et verbosius a me enarrari, nemo velit. Satis superque habebitur, si paucas et eas potissimas breviter perstrinxero.

Instrumentis, quae sideribus observandis inserviant, si quid adhuc dum desit, spes pulcra est, futurum, ut brevi adiungatur: quemadmodum quaedam instrumenta, de nota meliori commendanda, subinde ac nuperrime adiuncta esse, grati testantur Astronomiae cultores.

Quantum vero incrementi hoc seculo cepit res Anatomica! Primum enim *Iohannes Iacobus Rau*, anno decimo no-

no, apparatum ſuum Anatomicum omnem (*f*) teſtamento donavit Academiae. Deinde, theſaurum magni *Albini* Anatomicum, ubique celebratiſſimum, et a *Gaubio* (*g*) dictum incomparabile artis *Albinianae* Muſeum, ac perenne ſummi Anatomici mnemoſynon, ante hos triginta annos magno pretio (*h*) Curatores coëmerunt. Neque hic finis munificentiae ipſorum. Poſt mortem *Gualtheri van Doeveren*, ſuam quoque fecerunt, ſoluto pretio, ſupellectilem egregii viri Anatomicam totam, et Pathologi-

(*f*) Vid. *Sandifort*, V. C., Introduct. in Muſeum Anatomicum pag. XIV. Deſcriptio legati *Raviani* exſtat in eiusdem Muſei vol. I pag. 3—26.

(*g*) Orat. panegyr. pag. 41.

(*h*) Conf. Cl. *Sandifort* Introd. pag. XIV, et vol. I Muſei Anat. pag. 29—90, ubi ſupellex *Albiniana* deſcribitur.

gicorum praeparatorum, quae vocant, collectum (*i*) praestantissimum. Factum id est anno eiusdem seculi octogesimo tertio.

Diu hic desiderabatur apparatus instrumentorum Chirurgicorum publicus, inprimis eorum, quae recentior aetas sagaciter invenit. At vero defectum hunc, anno millesimo septingentesimo septuagesimo octavo, supplevit *Frederici Bernardi Albini* liberalitas, eximium suum apparatum Theatro Anatomico relinquentis (*k*), cum thesauris fraternis asservandum.

Chemice, ut *Gaubii* (*l*) verbis utar, in-

(*i*) Idem pag. XIV Introductionis, et vol. I pag. 98—124.

(*k*) Idem Introduct. pag. XXXVI.

(*l*) Orat. panegyr. pag. 41.

instructiorem nacta artificinam, annuisque fulta subsidiis, nihil ultra habet, quod ad pleniorem operis sui exercitationem desideret. Ita quidem ille ante annos quinque ac viginti. Quid tamen deinde accesserit, quid addi oportuerit, etiam post novos artis Chemicae adiuvandae conatus *Lavoisierii* et aliorum, si narrare velim, iure sim deridiculo. Dicant igitur Chemiae periti.

Ad dimidium circiter seculi, quamvis non pauci Batavi incredibilem dedissent operam undique colligendis rebus ex omni genere naturalibus, eiusmodi tamen (*m*) Museum Academicum erat nullum, nullum certe, quod cum ditissimis aliorum Museis compararetur. Post-

(*m*) *Gaubius* l. c. pag. 42.

Poſtquam vero eius conſtruendi conſilium Curatores cepiſſent, dici vix poteſt, quantus rerum naturalium theſaurus, ſed ad breve tantum temporis ſpatium, ex quacumque ora ac parte terrarum coacervaretur: rem iſtam tunc adiuvantibus munificis utriusque Indiae moderatoribus, praefectisque coloniarum Belgicarum (*n*). Cura rerum omnium, pertinentium ad hiſtoriam naturalem, atque ex regionibus exteris, praeſertim ex India Orientali et Occidentali, nuperrime allatarum, committebatur *Allamando*, hoc nomine de re Academica optime (*o*) me-

(*n*) Rogatu iuſſuque Moderatorum Societatis Indicae atque Celſiſſimi Principis Auriaci, Guilielmi IV, gazophylacium Academicum anno 1750 et paucis ſequentibus auctum eſt, cum a Gubernatore Indiae ac Promontorii Bonae Spei, tum ab aliis.

(*o*) In tabula lignea, ad parietem Muſei adhaerente, haec legitur inſcriptio:

merenti. Ne autem novae hae copiae veluti defossae laterent, quin potius publicae servirent iuventutis utilitati, nova deinde condita est schola (*p*), in qua harum rerum studiosi, adspectis coram exemplis, facilius feliciusque ad accuratiorem historiae naturalis cognitionem adducerentur.

Ne quid diffitear, a longo iam tempo-

HIC NATVRAE THESAVRVS
et ortum et incrementi partem debet Viro Clarissimo I. S. N. ALLAMAND, Philos. et Matth. in hac Academia Professori, qui suum in eo amplificando studium non putavit rectius posse declarari, quam luculentis eiusdem generis copiis, quas sibimet ipse privatim collegerat, liberaliter in commune conferendis; quam donationem Matrona Nobilissima MAGD. CROMMELIN post mortem mariti consummavit.

Hoc CVRATORES ACADEMIAE et VRBIS CONSVLES hac tabula ad posteros testatum esse voluerunt.

(*p*) Anno 1773 *Ioannes le Francq van Berkhey* constitutus est Lector historiae naturalis, et Cl. *S. I. Brugmans* anno 1787 eiusdem historiae Professor, qui ipse thesaurum hunc liberaliter adauxit, et cum maxime occupatus est in ordinando eodem Museo.

pore (*q*) et ad annum usque septimum et octogesimum, unum deërat celebritati Hygeae Batavae, Nosocomium nempe clinicum, publicis sumtibus sustentatum. Audivistis, dicto anno, et ex hoc loco, ea de re graves amici, multis mihi nominibus colendi (*r*), iustasque querelas, sed quae, paucis (*s*) post die-

(*q*) Quod enim obtinuit locum ab anno 1704, ac deinceps, eo praesertim tempore, quo *Hermannus Boerhaave* et *Hermannus Oosterdyk Schacht* artis Medicae et Academiae laudem illustrabant, more suo copiosius narrat *D. van Alphen*, Beschrijv. der stad Leijden III deel, Nabericht, bl. 41*—48*; merito dolens, institutum tam utile, tamque necessarium, post utriusque summi Medici mortem, fere in nihilum interiisse.

(*r*) *N. G. Oosterdyk*, Hermanni nepotis, in Oratione de ardua Medicinae exercendae provincia, die 8 febr. a. 1787 publice dicta, pag. 39.

(*s*) Die 10 martii eiusdem anni, in nota laudatae Orationi subnexa, Academiae iam gratulabatur Vir Clarissimus id, quod unum deërat eius celebritati; retardatas gratulabatur ad exteras scholas excursiones,

diebus, prorſus ſilebant. Munificentia enim publica inſtituebatur Noſocomium: ex quo quantum emolumenti in rem Medicam redundarit, quam eximia inde acceſſerit utilitas iunioribus artis ſalutaris cultoribus, qui, ſub auſpiciis Medicorum (*t*) experientiſſimorum, in conſpectum aegrotantium adducuntur, morbosque et ſanandi rationem addiſcunt, exercendaeque artis peritiam longe maiorem acquirunt, hoc et eiusdem gene-

ris

nes, quae praematurae, ſi non morum integritati, ſtudiorum ſaltem progreſſui nocere magis, quam prodeſſe, conſueverunt; gratulabatur Reipublicae Batavae de ſervatis bene multis civibus, iuniorum Medicorum curae olim committendis; gratulabatur denique Medicinae ſtudioſis Noſocomium clinicum.

(*t*) *N. G. Ooſterdyk* et *N. Paradys*, atque, poſt acceſſionem Noſocomio adiunctam, memoratamque in narratione, *M. S. du Pui*; quibus laborum ſocii et adiutores dati ſunt periti Medici et Chirurgi. — Pleniorem novi Noſocomii deſcriptionem hiſtoricam exſpectamus ab Ampliſſimo *de Malnoë*, qui eius mihi certam gratamque ſpem fecit.

ris alia plura ut commemorem, mea dicentis perſona et Medicorum obſervantia vetare recte videtur. Ad Noſocomium iſtud egregia non ita pridem facta eſt acceſſio, per quam et Chirurgiae practicae et artis Obſtetriciae diſcendae hac in urbe magis commoda comparata eſt facultas, quae ut quotidie fiat amplior, nullis parcitur ſumtibus, nullis laboribus.

Alia inſuper res dignitati et decori huius Academiae deëſſe videbatur, ea quae vulgo Muſei nomine appellatur, copia monumentorum priſci temporis, marmorum literatorum, numismatum, ſimiliumve reliquiarum antiquitatis eruditae, hoc eſt, Graecae et Romanae. Praeclaram ex iis in rem omnem literariam proficiſci utilitatem, nemo paulo humanior eſt, quin agnoſcat.

La-

Lapidumne vero antiquorum maior esset usus et praestantia, an numorum, variis discrepantium inter se hominum eruditorum contentionibus dudum agitata est quaestio. Pro numismatibus sententiam *Ezechiel Spanhemius*, vir cum paucis comparandus, ita dixit, ut nemo melius. Nec tamen minor, atque adeo prope maior, videbatur usus lapidum vetustorum *Marquardo Gudio*, *Scipioni Maffeio*, aliis. Controversia autem non est, quin in Academia Batava, ad medium circiter seculum praeteritum, defuerint inscriptiones antiquae, defuerint item, etiam diu post, numi veteres.

Verum enim vero defectum literatorum marmorum aliarumque venerandae antiquitatis reliquiarum, quod valde gaudemus, tandem supplevit *Gerardus Pa-*

pen-

penbroekius, talium monumentorum peritus existimator, supellectilemque antiquariam omnem, multo labore et aere undique conquisitam, generosa liberalitate voluit, ut Academia Leidensis tamquam suam perennatura integritate (*u*) conservaret, neque tanti thesauri conspiciendi admirandique occasio antiquiquitatis aestimatoribus deëffet unquam. Quo exemplo, ut excitabatur unus item et alter (*v*), si plures alii excitentur, ut

(*u*) Orationem de veterum Inscriptionum et monumentorum usu legatoque *Papenbroekiano*, anno 1745, habuit *Franciscus Oudendorpius*, ediditque, anno sequenti, brevem veterum monumentorum ab Amplissimo viro *Gerardo Papenbroekio* Academiae Lugduno Batavae legatorum descriptionem in duas partes divisam, quarum prima Graecos Latinosque titulos et anaglypha continet, secunda statuas, imagines, *cet.*, complectitur. Ipsius descriptionis exemplum cum notis MSS. ipsius *Oudendorpii*, ex legato eruditi filii, nunc servatur in Bibliotheca publica.

(*v*) *Petrus Hollebeek*, Ecclesiastes Amstelodamensis,

ut eiusdem generis monumenta, privatis suis in Museis latentia, in Museum publicum importari curent, famam nominis sui ad posteros propagabunt, atque singularis munificentiae laudatorem talem nanciscentur, qualem, ante annos quinquaginta et sex, *Oudendorpium* nactus est *Papenbroekius*.

Et vix plures quinque annis sunt, cum disciplinae cuiusvis apparatui instructissimo, librorumque copiis et lapidibus literatis, demum a Curatoribus est

sis, qualiacunque eius generis monumenta, Smyrnâ ad ipsum missa, Academiae donavit. Vid. *Oudendorpii* orat. p. 38, et descript. leg. Papenbr. pag. 78, 79. Fit quoque ibid. pag. 67 mentio doni, quo legatum Papenbroekianum auxit *Hieronymus de Bosch*, vir honestissimus; quem fuisse eruditae antiquitatis valde studiosum, intellexi ex ipsius nepote et cognomine, qui est hoc tempore Academlae Curator. — Post editam Oudendorpianam descriptionem legati *Pa-*

est adiuncta numorum antiquorum (*w*) collectio minime contemnenda. Cum autem longus annorum usus, in conquirendis optimis veterrimisque et rarissimis numismatibus plerumque sit necessarius, ve-

Papenbroekiani, Museo Academico varia antiquitatis monumenta, dono aliorum, addita sunt: de quibus, forte, plura in appendice huius narrationis. — Adiungam epigraphen, honori *Papenbroekii* positam in Museo, scriptam ab *Oudendorpio:*

CIƆIƆCCXLV.
AET. MEM.
ET HONORI AMPL. VIRI
GERARDI PAPENBROEKII
AMSTEL. VRBIS SCABINORVM
OLIM PRAESIDIS
OB GRAECA LATINAQVE ANTIQVITATIS
MONVMENTA
ACADEMIAE LVGD. BAT. TESTAMENTO LEGATA
POSVERVNT
ACAD. CVRATORES ET VRBIS COSS.
L. M. Q.

(*w*) Collectionis numariae catalogum anno 1799 adornare instituit *G. I. Voorda*, Consularis Leovardiensis, rerum domesticarum curandarum caussa eo tempore hac in urbe commoratus.

vehementer cupio et opto, ut quis, liberalitatis ſuae magnificentia, contrarium iubeat eſſe verum, atque ſic efficiat, ut in Muſeo numario huius Academiae abunde inveniant, quo ſe ipſi oblectent rerum iſtarum intelligentes, antiquitatisque ſtudium, nemini non utile, ſummopere provehatur.

Nefas ſit, eorum tacere munificentiam, qui, ſeculo proximo, teſtamentorum tabulis iuſſerunt, ſua ut pecunia vel diſciplinae alerentur, vel ſtudioſa iuventus ſuſtentaretur. Grati certe animi teſtificationem poſtulat *Ioannis Stolpii* (*x*) liberalis voluntas, qua factum eſt,

(*x*) Legavit is decem millia florenorum, cuius pecuniae reditus annui, alterna vice, cederent libris pro Bibliotheca publica coëmendis, et cudendo numo aureo, ſcriptoribus donando, qui ad quaeſtio-

est, ut a viris eruditis, veri et iusti amantibus, quam plurimae conscriberentur dissertationes, ad Theologiam naturalem ac doctrinam morum pertinentes, dignaeque iudicatae, quae aut praemio ornarentur, aut saltem in publicam (y) exirent lucem. An silentio praetermittam aut legatum *Iacobi Perizo-*

stiones, a curatoribus legati proponendas, optime respondissent. Universa legati ratio et laudabile consilium potest intelligi e testamento *Stolpii*; quod exstat in Handvesten der stad Leijden, bl. 584—598.

(y). Ex eo genere erant dissertationes virorum doctorum *Perrenot*, *van Oosten de Bruyn*, *Hulshof*, *Hennert*, *Wyttenbach*, *Cras*, *Manger*, *de Kruyff*, *Luzac*, *Meyer*, *Toellner*, *Hottinger*, *Fontaine*, *Dryfhout*, *Gratama*, *Pap de Fagaras*, aliorum: quibus tamen adscriptam nolim disputationem *Schwabii*, quae a. 1785 praemium reportavit, et anno sequenti edita est. Quandoquidem certo novi, istius dissertationis praemio condecoratae caussa, Academiam Batavam a quibusdam, nominatim Helvetiis, ignominia et infamia notatam esse; ut eiusdem consulam honori, paucis monebo, tantum abfuisse, ut Professores omnes argumentum istius li-

zonii (z), literis humanioribus adiuvandis destinatum, aut *Samuelis de Zee*

libelli probarent, ut contra plerique, neque ii soli Theologi, sed etiam aliarum disciplinarum doctores, et privatim et publice significarent, valde sibi displicere magnam disputationis Schwabianae partem, non modo iniquae in doctrinam a Reformatis receptam, verum quoque in omnem religionem Christianam, cui quidem ut vis hostilis inferretur, noluit profecto *Stolpius*, vir optimus. Quodsi autem *Schwab* vera omnia scripsit, religio Christiana parum aut nihil differt a religione Ethnica, puriori scilicet ea, quam in doctrinae Christianae locum substituere et supponere ab aliquo tempore quidam conati sunt. Nec ego, nec alii, mutavimus sententiam, post lectas inanes querelas de quorumdam malignis cavillationibus, criminationibus, et calumniis.

(z) Promovendo bono reipublicae literariae, legavit *Perizonius*, a. 1715, viginti millia florenorum: e quorum reditu quotannis trecenti floreni cederent per septem annos continuos alicui literarum politiorum studioso, cui rationem et ordinem studiorum, et quantum parti cuilibet dandum esset temporis, aliaque diligenter et accurate praescripsit; pecunia reliqua in libros, maioris praecipue pretii, nec a privatis hominibus facile comparandos, a curatoribus legati impenderetur. Conf. *Schultingii* Oratio in obitum *Perizonii*, pag. 46.

Qua

Zee (*a*) et *Bernhardini de Moor* (*b*), in gratiam futurorum Theologorum, ſive Batavorum, ſive Lithuanorum, aut denique viduae *Steynianae* (*c*), quae, ad in-

Qua de cauſſa apographum tabularum teſtamenti *Perizoniani* ſervetur a Senatu Academiae Franequeranae, quod monet *Vriemoet* in Athenis Friſiacis pag. 635, ſcimus omnes.

(*a*) Poſtquam per omne mare cucurriſſet *Samuel de Zee*, utrasque in Indias penetraſſet, et fortunam adverſam eſſet eluctatus, partem bonorum, quae diligentia et parſimonia ſibi paraſſet, conſecravit piis uſibus, quos vocant, et legato huic Academiae a. 1724 donavit decies mille florenos, e quorum reditu annuo ſtudioſi Theologiae ſuſtentarentur. Vid. *Fabricium* not. ad Orat. panegyr. pag. 7, et *van Mieris*, Beſchrijving van Leijden I deel, bl. 358, 359.

(*b*) Teſtamento voluit Cl. *de Moor*, ut poſt mortem, quae accidit a. 1780, reditus quatuor millium florenorum diſtribuerentur anno quoque Lithuanis, ſtudii Theologici cauſſa Leidam adventantibus.

(*c*) Matrona nobiliſſima *Cornelia Schellinger*, vidua *Petri Steyn*, Hollandiae ac Weſtfriſiae Ordinum Conſiliarii et Syndici ſupremi, mortua anno 1783, teſtamenti tabulis anno 1774 iuſſerat, ut defini-

inſtar mariti ſui, quondam dignitate Curatoris Academiae perfuncti, de eadem bene mereri cupiens, variarum diſciplinarum ſtudioſis pluribus praeclarum in modum benigne faciebat.

Quod ante duo ſecula fundatum eſt et ſolemni pompa inauguratum (*d*), Collegium Theologicum innumeros ſpatio centum annorum fovit aluitque iuvenes,

finito ſtudioſorum numero, literis et artibus in Academia Leidenſi navantium operam, per quinque annos ducenti floreni annumerarentur.

(*d*) Factum id eſt die 6 Octobris a. 1592. Legendus *Fabricius* l. c. pag. 6, 7, aut potius *Orlers*, Beſchrijvinge der ſtad Leijden bl. 219—235, qui non neglexit orationem, eodem die Belgice habitam a praeſtantiſſimo *Iano van Hout*, Magiſtratibus Leidenſibus tunc a ſecretis, quo item munere dudum functus erat in Senatu Academico, ab a. 1581. Quam vellem, orationi Belgicae Latinam adiunxiſſet diligentiſſimus *Orlers*, eo tempore habitam a *Iohanne Kuchlino*, primo Collegii Theologici Praefecto.

nes, publice deinceps utiles (e) et coetibus Christianorum et Athenaeis, tam exteris, quam patriis, nec tamen [illegible] omnes

[illegible]

(e) Tales fuere, ut e multis paucos commemorem, *E. Palairet*, *P. Curtenius*, *A. 's Gravezande*, *I. T. Elsnerus*, *G. I. Lette*, *G. Kuipers*, et *C. G. Woide*; nec desunt hodie in Patria nostra, qui in eodem Collegio vixisse se et literis navasse operam, laeto gratoque animo agnoscant. Non minus seculo XVIII, quam superiori, eventu comprobatum est, quod sua in oratione inedita dixit *Kuchlinus*: „ Quemadmodum Ecclesiis hoc Collegio de viris idoneis potest prospici, ita et Scholis ingens hinc exspectanda utilitas. Hinc Theologiae sanctae, artium liberalium et linguarum Professoribus qui sunt cum laude et fructu successuri, prodibunt. Hinc docti, laboriosi et fidi paedagogiorum moderatores emergent, qui ab incunabulis doctrinam veritatis coelestis, et Latinae et Graecae linguae, Grammatices, Dialectices et Rhetorices rudimenta pueros docebunt. Quin hoc Collegium, DEO laboribus docentium et discentium annuente, dabit DD. Ordinibus Collegii ipsius Regentes et Inspectores, ut, qui recte prius parere didicerunt, tutius alumnis regendis et dirigendis praeficiantur: sic aliunde accersere non erit opus; gloriosius in sinu Patriae gignentur et educabuntur."

omnes eadem laude dignos, quamvis (*f*) Praefecti optimi nihil eorum omitterent, quibus cunctorum alumnorum commoda vera omni ex parte augerentur. Quae fuerit ab aliquo tempore Collegii istius conditio, vel quae hodie sit, vel quae propediem (*g*) futura, dicere iam non at-

(*f*) Seculo XVIII Collegio Theologico fuere Praefecti, vulgo dicti Regentes, *Hermannus Witsius*, a. 1707 *Petrus Hollebeek*, a. 1709 *Robertus Aemilius*, a. 1730 *Albertus Schultens*, a. 1750 *Iohannes Iacobus Schultens*, et a. 1779 *Carolus Boers*. Eodem illo tempore Praefecti vicarii, Subregentes appellati, erant *Petrus Hollebeek*, a. 1707 *Robertus Aemilius*, a. 1709 *Iohannes van Rouveroy*, a. 1720 *David Knibbe*, filius, a. 1748 *Petrus Couwenburg du Bois*, a. 1762 *Adrianus Munnekemolen*, et a. 1788 *Guilielmus Te Water*.

(*g*) Quae nuper admodum gesta sunt, etsi ad narrationem rerum Academicarum seculi XVIII non videntur pertinere, pertinent tamen, habita eorum ratione, quae ante acciderant. Etenim ab anno 1793 animus erat Curatoribus Academiae, de Collegio Theologico, iam tum ruinam aedium minitante, ea Ordinibus Hollandiae proponere consilia, ex quibus antiquum hoc virtutis ac pietatis Bata- vae

attinet. Prudentia vero Ampliſſimorum Curatorum fretis, ſperare nobis licet, futurum, ut e mutanda huius inſtituti ratione parum aut nihil capiat detrimenti vel res publica ſacra, vel Academiae ſplendor et utilitas.

Tametſi res paucorum privata queat videri, tacendum non opinor, ante hos novem annos eſſe initam (*h*) ſocietatem,

vae monumentum, tamquam ipſa vetuſtate collapſum, aboleretur, alumni tamen, ratione alia aere publico ſuſtentati, in hac Academia curam in literis ponerent. Quod eo tempore, quacumque de cauſſa, non probabatur ab omnibus, anno primo ſeculi novi tandem probatum novimus. Intelligitur ex his, non nova prorſus de hac re conſilia Curatorum iudicari oportere, ſed ipſos feliciter perfeciſſe, quod ante effici non poterat.— Nec ſpem, quam eſſe ſignificabam in narratione, deſtituit adhuc eventus, nec deſtituet unquam, ſi DEVS preces noſtras non averſetur.

(*h*) Die 26 novembris a. 1791 primum deliberari coeptum eſt de ſocietate in commodum viduarum,

tem, cui cura sublevandi aliqua ex parte viduas Professorum in hac Academia, quotquot eidem sodalitio dederint nomen;

con-

rum, a Professoribus Leidensibus relictarum. De isto negotio postquam inter se consultassent et Senatui Academico lumen praetulissent tres Senatores, paucorum dierum spatio leges societatis, iam instituendae, et scribebantur, et emendabantur, et die 21 ianuarii a. 1792 sanciebantur. — Cum *Petrus Huguetan van Vryhoeven* legasset Academiae Leidensi quingentas libras sterlingicas, de adeunda ista hereditate anno 1792 ac deinceps controversia nascebatur Curatores inter et Senatum Academiae. Tandem de compacto pars altera legati tradita est Senatui, cessitque aerario societatis, de qua dixi, pars altera pervenit ad Curatores, sed qui eamdem, ornandae rei Academicae ergo, in illud aerarium item referri a. 1795 benigne ac liberaliter voluerunt.— Accedebat a. 1797 extremo legatum, a nobilissima Matrona *Catharina Maria Wierman*, vidua *Simonis Drolenvaux*, Consulis Leidensis, huic societati relictum; atque a. 1800 donum *N. G. Oosterdykii*, V. C., in gratam memoriam, se per annos quinque et viginti provincia docendae Medicinae hic perfunctum esse. Si per integrum seculum XIX ita augebitur aerarium, ut est auctum annis octo postremis seculi XVIII, semper erit, quod laetentur Musae Leidenses de condita hac societate.

cordi esset, non modo laudabilem illam, sed ita probatam quoque Curatoribus, pulcre intelligentibus, non minus eam prodesse posse decoribus Academicis, quam hominibus singulis, suum ut favorem huic sodalitati non negarent, quin luculentam afferrent accessionem ad illius aerarium, quod et iis et omnibus aliis, reipublicae Academicae caussa, velim semper commendatum.

Audivistis hactenus, quibus praesidiis, seu novis, seu instauratis auctisque, haec Academia seculo proximo creverit et adiuta sit. Sed forsitan quaeratis: nihilne igitur eorum, quae quondam exstiterunt, hodie desit?

Cum rara nostri temporis felicitas esse videatur, ut ingenii acies assiduo et que-

tidiano labore nunquam hebefcat, nec torpor, literis impallefcendo contrahi folitus, modo tam periculofo debeat excuti; quis veftrum aegre ferat, vix ulla amplius fupereffe fphaerifterii veftigia? quis noftra aetate contendat, ad valetudinem profperrimam tuendam effe illud tantae utilitatis, quantae a paucis cenfebatur? De *Vefpafiano* quod narrat *Suetonius* (*i*), non ignoro; fed is in fphaerifterio fauces ceteraque membra fibimet ad numerum defricabat, et, ad confervandam fanitatem, inediam unius diei per fingulos menfes interponebat.

Dolendum magis eft, unam hodie deficere rem, quae, fi adeffet, et doctrina-

(*i*) In Vefpafiano cap. 21. — Exemplo aliorum, pro voce Belgica *Maliebaan* dixi *Sphaerifterium*. Recte, an fecus, non difputo. Alii vocant *Xyftum*, ii

narum ſtudia promoveret, et libros praeſtantiores edendi opportunitatem praeberet pulcriorem, et famae huius Academiae ubique locorum propagandae inſerviret. Loquor de Typographia Academica (*k*), quae ſi exiſteret, non certe hac in urbe typorum machinae deſiderarentur, quae ſunt neceſſariae, ut opus elaboratum, et quod unum omnium eruditiſſimum (*l*) dicere non vereor,

(*k*) Dudum erant, ſuntque adhuc dum, Typographi Academiae. Non eſt hodie Typographia Academica, hoc eſt, quae impenſis publicis ſuſtinetur. De publicae Typographiae officina a. 1725 mentionem faciebat *Fabricius* in Oratione Panegyr. pag. 14, monebatque in notis pag. 8, celebrem eam olim extiſtiſſe typis Plantinianis, Raphelengianis, Elzevierianis, et eo tempore Petri van der Aa, de bonis literis praeclare meriti edendis theſauris Antiquitatum Graecarum Graeviano, Romanarum Gronoviano et Italicarum Burmanniano.

(*l*) Loquor de *P. E. Iablonskii*, unius omnium ſeculo XVIII Theologorum eruditiſſimi, opuſculis editis et ineditis, praeſertim de collectione vocum Ae-

os, in publicum queat exire. Attamen, ne quid dissimulem, laudabili Curatorum et munifica cura factum est, ut, paucis abhinc annis, splendidum ederetur opus, Museum Anatomicum (*m*) Academiae Lugduno Batavae, descriptum a celeberrimo *Sandifort*, cui, et de egregia Musei illius descriptione, opere ad Academiae gloriam valituro (*n*), et, per hanc occasionem, etsi ea

Aegyptiacarum, quarum apud Veteres mentio occurrit, exquisitae opere doctrinae. Conf. Cl. *Wyttenbachius* in Vita *Ruhnkenii* pag. 191. Nisi in officinis Typographicis Leidensibus defuissent formae literarum Copticarum, tantae eruditionis thesaurum, vix alicui visum, tam diu latere non sivissem.

(*m*) Duobus voluminibus, forma maxima excusis, prodiit a. 1793. Seu typorum habeatur ratio, seu chartae, seu tabularum aeri incisarum, quae sunt numero 136, seu denique descriptionis et introductionis, opus apprime splendidum et est et habetur.

(*n*) Verba sumta sunt ex inscriptione, quae le-

ea res ad feculi, quod vivimus, initia pertinet, de Filio (o), ad docendam Anatomen nuperrime vocato, publice gratulor.

Dolendum praeterea eft, quod magis ac magis in defuetudinem abierit mos antiquus edendi orationes omnes, folemniter hic habitas, easque tales, quibus plaufus

legitur in monumento argenteo, atque integra haec eft: QVANDOQVIDEM. EDVARDVS. SANDIFORT. V. C. DEMANDATAM. SIBI. MVSEI. ANATOMICI. DESCRIPTIONEM. OPVS. AD. ACADEMIAE. GLORIAM. VALITVRVM. EGREGIE. PERFECIT. OMNINOQVE. PROFESSIONEM. SVAM. ORNAVIT. ORNAT. CVRATORES. ACADEMIAE. BATAVAE. ET. CIVITATIS. LEIDENSIS. COSS. EVM. HOC. PRAEMIO. DONARVNT.

(o) *Gerardus Sandifort*, ab aliquo iam tempore Profector in Theatro Anatomico, et Clariffimi Patris adiutor, die 2 februarii a. 1801 conftitutus eft Profeffor Anatomiae extraordinarius, habuitque d. 28 feptembris orationem de accuratioris et fubtilioris Anatomes ftudio Medicis et Chirurgis maxime commendando.

ſtis bene promeritus a cuncto dabatur conſeſſu, dignas adeo, quae, aut propter argumenti gravitatem, aut ob elegantiam ſermonis, aut utroque de nomine, ab hominibus eruditis, alibi viventibus, attente legerentur ac probarentur.

Nec minus dolendum eſt, cum id fiat magno detrimento hiſtoriae Batavorum literariae, cuius perinſignem uſum in quovis diſciplinarum genere agnoſcimus omnes, dolendum idcirco eſt, ſolemnitatem funebris laudationis virorum praeſtantiorum ex Academiis veluti exſulare et expulſam (*p*) eſſe. Intelligebant id hu-

(*p*) Non longe abeſſe tempus videri, quo omnem privatae eloquentiae exercitationem, omnem publicarum concionum et funebrium laudationum ſolemnitatem ab Academiis exſulantem et expulſam do-

huius Academiae Curatores, Professoribus defunctis parentari (*q*) volentes; recte existimabant, parentalia haec apta esse conservando et augendo Academiae splendori; quo autem iure statuerint, orationes funebres habendas esse, invitis etiam heredibus, immo vero quamvis Professores adhuc superstites id honoris genus deprecati essent, non disquiram. Res difficilior est, fateor, eos pleno ore laudare, quos novimus et natos esse et mortuos, auditoribusque suis de scripto praelegisse, quae ipsi iuvenes bene vel secus ab aliis accepissent, ceteroquin vix quidquam laudabile perfecisse, sed per totam vitam veluti in tene-

doliturí simus, a. 1715 dicebat *Petrus Burmannus* in Oratione de publici humanioris disciplinae Professoris proprio officio et munere, pag. 27.

(*q*) Decretum hoc factum est d. 8 novembris a. 1719.

nebris latuisse. Si quis unquam ex isto hominum genere in ordinem Professorum Leidensium seculo praecedente relatus sit, dubio tamen caret, plurimos per idem illud tempus, quibus non (*r*) parentatum est, nominis immortalitatem consecutos esse, eosque perdignos, quorum

(*r*) Noluere, ex gr., aut ipsi, aut consanguinei, aut heredes alii, ut conciones funebres haberentur in memoriam *G. Bidloo*, *I. Voet*. *S. van Til*, *I. Gronovii*, *W. Senguerdii*, *G. Noodt*, *I. Wittichii*, *G. I. 's Gravesande*, *S. Haverkamp*, *H. Oosterdyk Schacht*, *I. Wesselii*, *I. I. Vitriarii*, *T. H. van den Honert*, *F. van Oudendorp*, *P. van Musschenbroek*, *I. Alberti*, *G. Scheltinga*, *I. Lulofs*, *trium Schultensiorum*, utriusque *Albini*, *A. van Royen*, *H. D. Gaubii*, *T. Hemsterhuis*, *L. C. Valckenaer*, *G. van Doeveren*, *I. D. Hahn*. *E. Scheidii*, *D. Ruhnkenii*, ac multorum aliorum. Tempore inaugurationis novi Rectoris, die 12 iunii a. 1778, praemittebat *D. van der Kemp* oratiunculam de iustissimis dolendi caussis, quas habet Pallas Batava, quod sibi publicos et defunctis Rectoribus haberi solitos honores suo *Friderico Bernardo Albino* persolvere non licuerit. Nemini Professorum, quantum recordor, post annum 1758 parentatum est.

rum memoria concione funebri celebraretur, quo facilius in ipſorum vitas, tamquam in ſpeculum, inſpiceret poſteritas, atque ex iis ſibi ſumeret exemplum.

Niſi brevitatis promiſſae eſſem memor, multa alia narrarem, cum laeta, tum triſtia. Unum eſt, quod reticere nolim. Quamvis affirmare non audeam, qui in hac Academia honores doctoris conſequerentur, eos omnino omnes iuris utriusque, quod vocant, fuiſſe valde peritos, gremio tamen velut ſuo edidit alma mater Batava, per totum ſeculum, viros magnos, omnis doctrinarum generis apparatu inſtructos, cives quondam ſuos et alumnos dilectos, deinde iuri dicundo et Reipublicae adminiſtrandae regundaeque aptos, rebus pro Patria domi forisque, tempore pacis ac belli, praeclare

geſtis illuſtres, atque in id operam naviter conferentes, ut veram Religionem, ſalutem Patriae, auream Libertatem, integram potius et auctam poſteritati relinquerent, quam ſua culpa diminutam et violatam. Nominibus eorum recenſendis, etſi dignis, quorum memoria grato civium animo nunquam non conſervetur, ſuperſedendum eſt, ne aut iis numerandis narratio fiat multo iniucundior, aut etiam, memorandis aliis, aliis ſilentio praetermittendis, in invidiam fortaſſe adducatur.

Et ſane, eo certe laudum cumulo gloria Muſarum Batavarum aucta eſt, hanc civitatem habitam ſemper eſſe cultiſſimorum ingeniorum matrem, prodiiſſeque ſeculo praeterito ex hac Academia aliarum Academiarum ac regionum illuſtria decora et

prae-

praesidia, ita quidem, ut vix ulla in cultiori, qua patet, Europa gens sit, quae non huic Academiae praestantiores debuerit debeatque adhuc dum cuiuscumque doctrinarum formulae doctores, celebritatis suae partem aliquam cum hac ingeniorum palaestra, in qua iuvenes literis artibusque eruditi essent, grata mente communicantes. Ne quid dicam de praeclaris et huius (*s*) et ceterorum (*t*) in

(*s*) Plerique Professores, seculo XVIII literarum et disciplinarum docendarum in hac Academia provinciam nacti, sua in iuventute iisdem Leidae operam navarunt.

(*t*) Ne iterum apponam nomina virorum celeberrimorum, supra pag. 19 iam memorata, Palladis Batavae alumnis debent annumerari *A. Driessen*, *C. Vitringa*, *Fil.*, *G. ab Irhoven*, *P. 's Graeuwen*, *P. Chevalier*, *H. Cannegieter*, *C. Segaar*, *P. Bondam*, *G. de Wind*, *I. D. van Lennep*, *H. Tollius*, *I. F. Hennert*, *P. Luchtmans* *M. van Geuns*, *A. Bonn*, *P. C. Cras*, *E. Wassenbergh*, *R. Forsten*, *I. H. van Swinden*, *C. W. de Rhoer*, *I. Willmet*, *I. Bleuland*, *A. Chaudoir*, *S. I. van de Wynpersse*, *E.*

in Patria Athenaeorum ornamentis; ne ſigillatim enumerem viros eruditos, qui, iactis in hac civitate ſtudiorum fundamentis, aut Academias exteras aut generatim Rempublicam literariam (*u*) ornarunt et cum maxime ornant; ne commemorem alios, qui, etſi ad omnem humanitatem alibi terrarum ante informati, ad tempus tamen (*v*) in hac Aca- de-

E. I. Greve, *E. I. Thomaſſen à Thueſſink*, *C. P. Schacht*, *S. I. van Geuns*, *I. H. Pareau*, *I. Mulder*, *R. W. Tadama*, *G. van Lennep*, *R. Terpſtra*, *C. Franſen van Eck*, alii, in Academiis et Athenaeis Belgicis in ordinem Profeſſorum relati: quorum alii dudum mortui ſunt, alii in ipſo flore aetatis paucos ante annos a vita exceſſerunt, alii ſuperſtites ſunt et literas ornant.

(*u*) Ex eo genere fuere, ut e multis paucos commemorem, *Ericus Benzelius*, uterque, alter Sueciae Archiepiſcopus, alter Epiſcopus Scaniae, *Thomas Shaw*, *H. S. Reimarus*, *A. Haller*, *I. Pringle*, *I. F. W. Ieruſalem*, *I. I. Reiske*, *I. N. Lieberkuhn*, *N. G. Schroeder*, *A. Trembley*, *E. Lamberg*, *I. P. Berg*, *F. de Jean*, *A. I. Arnoldi.*

(*v*) Pertinent huc, ex gr., *P. E. Iablonski*, C.

demia commorari voluere, non tantum, ut ſibi cum viris ſummis uſus eſſet et conſuetudo, verum etiam, ut per ipſos in literis ac diſciplinis proficiendi nanciſcerentur occaſionem; ne igitur haec et ſimilia tangam, nemo eſt, quin ſciat; ut e multis uno duntaxat utar exemplo, e ſchola *Boerhaaviana* profectum eſſe *Swietenium*, dictum per excellentiam diſcipulum *Boerhaavii* (*w*), immo vero alterum *Boerhaavium* (*x*). Tanti nominis

C. Linnaeus, *A. F. Pallas*, *S. Musgrave*, *I. Z. Platnerus*, *F. T. Rinck.*

(*w*) A Cl. *Saxio*, part. VI Onom. Lit. pag. 389, 390. In monumento, quod *Gerardo van Swieten* Vindobonae poni voluit Maria Thereſia Auguſta, dicitur *procuraſſe ſcientiarum artiumque inſtaurationem.* Vid. *D. van Alphen*, Beſchrijv. van Leijden III deel, bl. 23*.

(*x*) Hoc nomen, quo nihil maius dici poteſt, ei attribuitur ab *Erneſti* in Opuſc. orator. pag. 357, et a multis aliis, ut monet in ipſius vita *Bruckerus*, in Pinacotheca virorum literis illuſtrium, decad. X. n. 1.

nis cive ſuperbiat Academia Batava, caput efferat urbs Leidenſis, quae per integrum ſeculum vix tulit quempiam aut fama fortunaque celebriorem, aut auctoritate graviorem, aut humanitate politiorem, dignum adeo, cui, gloriam magis affecuto, quam petenti, etiam in loco natali eademque in aede, in qua *Boerhaavii* et *Camperi* monumenta ſepulcralia cernuntur, honorarius tumulus quam primum excitetur.

Vos, Auditores, ſedeatis iudices, queatne poſt ſeculum decimum octavum exactum de Leida affirmari, quod centum ante amplius annis dixit (*y*) teſtis pergravis, et cuius oblivionem nulla annorum diuturnitas inducet, magnus *Grae-*

(*y*) Orationum pag. 331.

Graevius: „ Hanc urbem prae ceteris nobilitavit, et ſuper omnes extulit illuſtriſſimum et auguſtiſſimum illud ſapientiae et omnis doctrinae ſacrarium, maximum orbis muſeum, in quo plures viri ſummi, qui principatum ingenii et eruditionis tenuerunt, floruere, quam in ceteris omnibus Europae Academiis.".

Vos iudicatote, ſitne annus natalis Academiae centeſimus et quinquageſimus, ritu ſolemni, merito celebratus anno ſeculi, quod praeceſſit, quinto et vigeſimo, itemque, quinquaginta poſt annis, dies Academiae natalis ducenteſimus, ſplendida tam pompa, maior ut vix poſſit cogitari, ſed quam teſtis oculatus (*z*) di-

(z) Edidit a. 1775 *Bern. de Bosch*, ſermone patrio, accuratam deſcriptionem feſti Academici, eo tempore celebrati.

diligenter ita defcripfit, ut, eam fi vellem narrare, inutili opera actum agerem.

Veftrum quoque fit iudicium de hominibus, paucioribus tamen iftis, nec vix dignis ira Palladis Batavae, eo usque feculo fuperiori extremo infanientibus, Academiam ut fublatam cuperent, iura eius omnia in perpetuum abrogata vellent omnesque immunitates fimul deletas, quin etiam literarum expulfionem et fugam, quafi malorum omnium remedium, imprudenter ac ftolide optarent, neque meliores Senatoribus iftis Romanis (*a*), qui cenfebant, Praetor ut animadverteret curaretque, Romae ne effent Philofophi et Rhetores, neque diffimiles Ptolemaeo Phyfconi, qui, cum re-

(*a*) Vid. *Suetonius* de claris Rhetor. c. 1, et *A. Gellius* XV. N. A. c. 11.

rerum potitus esset, literas omnes literatosque fertur (*b*), vel regno Alexandrino expulisse, vel certe expelli voluisse. O infelices ac miseros! Bonis profecto literis Divinis humanisque, cum sapientia virtutisque studio coniunctis, vitae ac felicitatis hominum praesidia continentur ad omnem perpetuitatem certissima, finguntur ingenia, poliuntur mores, humanitas excolitur.

Leyda, si felix, tua dona noris!
Fida dum Musis statio vocaris,
Grata sis! namque hinc tibi vera virtus,
Ars, honor, aurum.

Verum, ne cui vestrum videar e narratore repente factus poëta, sciatis, sic du-

(*b*) Conf. *Heyne*, V. C., in Opusc. Acad. vol. IV, pag. 438, 439.

dudum (*c*) ceciniſſe, cuius ſumma ſemper erit et inprimis apud Leidenſes gravis auctoritas, immortalem *Boerhaavium*.

Finem

(*c*) Anno 1725, in Carmine, quod eſt ſubnexum Orationi *Fabricii* et Carmini *Burmanniano*. — Propter ſimilitudinem argumenti, et ut finis mearum annotationum lectori cuique ſit pergratus, addam *Boerhaavianis* verba *Ioannis Ooſterdyk Schacht*, V. C., in Elegia in natalem Academiae L. B. CL[um], quae diu rarior facta eſt, a. 1725 ſic canentis:

En! Proceres, verum tibi quîs teſtentur amorem,
Munera dant, nullo quae peritura die:
„ Accipe, ſic aiunt, certi monumenta favoris,
„ Et ſubeat muros haec Schola, LEYDA, tuos;
„ Haec Schola, quâ nomenque tuum laudesque manebunt,
„ Dum dabitur doctis artibus ullus honor:
„ Haec Schola, quâ fructus fidei ventura Paternae
„ Poſteritas largâ fertilitate feret:
„ Gloria cui cedet (niſi nos certiſſima fallant
„ Omina) Gymnaſii, Graecia docta, tui.
„ Mox Scytha, mox Poenus, Poenoque remotior Indus
„ In tua migrabit moenia dives opum;
„ Credite". Sic fantur; nec ſpes lactabat inanis,
Sed Procerum probat haec omina feſta dies.
Gratulor O! claro digniſſima LEYDA Lyceo,
Vnde ferunt cives commoda tanta tui.
O! utinam multos perſtet ſchola ſalva per annos,
Et redeat ſtudii, qui fuit ante, vigor!

Finem narrandi ut tandem faciam, Vos mihi innuere intelligo. Lubens ergo Vobis obtemperabo, et desinam in hoc voto, quod DEVS ratum ac firmum esse iubeat!

Floreant in Republica Batava literae artesque! His florentibus, Religio et Libertas, duplex Patriae dulcissimae Palladium, intaminatum conservetur, et ad posteritatem, non huius tantum, sed omnium seculorum, tradatur! Floreat Academia Lugduno Batava, testenturque secula sequentia, eam ex hoc tempore tantum crevisse, quantum et a primis natalibus et seculo decimo octavo feliciter crevit! A primo novi seculi anno magis magisque spargat ac disseminet et ad seros usque nepotes memoriam transferat perennem! Curatoribus et Doctoribus omnibus, qui nunc sunt

erunt-

eruntque, ſuo numine atque auxilio DEVS adſit benignus et propitius, ut priſcum Academiae decus tueantur ac propagent! Studioſam iuventutem, omni bonorum genere cumulatius auctam, felicem praeſtet et beatam!

Poſt centum vero annos, ex hoc vel loco ornatiori, de rebus Academiae Lugduno Batavae, ſeculo decimo nono, iisque laetis omnibus, nullis triſtibus, verba faciat, non narrator, qualem hoc die, praeter opinionem, patienter audiviſtis, ſed perfectus numerisque omnibus abſolutus Orator!

APPENDIX

NARRATIONIS.

A. Consilium *Bonaventurae Vulcanii* de studio Medicinae.

B. Auctarium legati *Papenbroekiani*.

C. Series *Curatorum* Academiae Lugduno Batavae, seculo XVII.

D. Series *Professorum* in eadem Academia eodemque tempore.

APPENDIX NARRATIONIS.

A.

Consilium BONAVENTVRAE VVLCANII (*)

De Studio Medicinae.

B. VLCANIVS PHILOBVLO SVO.

Nae ego me illi non vulgaria εὐαγγέλια debere confiteor, Philobule doctissime, qui mihi, in tanta expectatione desiderioque versanti, ac de te, utpote amicissimo, dies noctesque cogitanti,

(*) Est nemo in republica literaria tam peregrinus, qui nesciat, qualis et quantus fuerit *Vulcanius*, quantumque per plures annos ornamentum huius Academiae. Prae millenis aliis unum sufficiet testimonium *Petri Cunaei*; cuius oratio in obitum *Vulcanii* diu in scriniis latuit, et primum edita est a *Petro Burmanno*, subnexaque *Cunaei* epistolis. Vitam *Vulcanii* scripserunt *Meursius* in Ath. Bat. p. 103 — 108, *Foppens* tom. I. Bibl. Belg. p. 142, 143, et alii, quos laudavit Cl. *Saxius* part. III Onom. Lit. p. 489, 490. Ex innumeris epistolis a *Vulcanio* et ad ipsum scriptis, quae MSS. servantur in Bibliotheca publica Lugduno Batava, plurima adiungere possem; sed

ti, literas tuas, imo te ipſum reddidit: quo nomine quam ſim gaviſus, tibi facilius eſſe arbitror coniecturis, quam mihi verbis aſſequi. Et certe quotieſcunque tuas lego, libenter amplector ſingularem tuam erga me benevolentiam, et in mutuis amicitiae officiis conſtantiam, ita ta-

duo haec praecipue pertinent ad libellum, qui nunc primum vulgatur. Iuvenis admodum operam addicebat ſuam ſtudio Medicinae, minime tamen neglectis literis humanioribus, quibus deinde vir factus ſe totum tradebat. Ex Hiſpania, ubi *Franciſco de Mendoza*, Cardinali et Epiſcopo Burgenſi, erat a ſtudiis, epiſtolis et bibliotheca, ſcribebat ad patrem ſuum *Petrum Vulcanium:* „ Salamanticae vigent Leges, ſordet Medicina, ſordent Literae.— Caeterum ita ſtatui, ſatius eſſe Italiam viſere, ubi et maior eſt aëris temperies, et pluris fiunt literae, et quod praecipuum eſt, nunquam ceſſatur. Ibi ego et Literas, ſi quid ad rem facient, et Medicinae ſtudium, perſequi poſſum, minore ſumptu, maiore cum delectatione. Ita tandem fiam Medicus, et Hiſpanicam iuxta ac Italicam linguam callens potero honeſte ποριῖν. Neque deërit in patria quaeſtus. Magni enim ſit, praecipue in Medico, peritia linguarum." Ita ipſe *Vulcanius* in epiſtola autographa inedita. Alterum vero, quod obſervari velim, ſpectat ad argumentum huius opuſculi. Cum enim a *Vulcanio* ſcriptum ſit Lovanii anno 1556, ſatis apparet, de quo genere Grammaticorum, Philoſophorum, Theologorum et Iurisconſultorum hic fiant ſermones. Ad quod qui advertat animum, eum non offendent quaedam dicta, in hoc libello occurrentia, et iudicio nonnullorum duriora fortaſſe et aſperiora.

tamen, ut tibi non concedam: exosculor dictionem tuam ita tersam et expolitam, ita ad eruditissimorum hominum normas fabrefactam, ut mira quadam efficacia legentis animum, ut Caecias nubes, ad se rapiat: denique non possum non admirari, et amare, incredibile quoddam et inusitatum ingenii tui acumen, cuius beneficio, occultissima quaeque et abditissima perspicis, et amicorum consilia conducibilia ne sint instituto tuo, an non sint, minimo negocio exploras. Quod cum aliis multis in rebus saepenumero declaraveris, tum praecipue in consilio meo, quo apud te nuper sum usus, ut ab continuo isto politioris, ut vocant, literaturae studio, ad sublimiora dignioraque ingenio isthoc, in quo formando expoliendoque natura rerum architectrix omnes vires suas explicasse videtur, te instigarem; efficeremque, ne tibi, ex solis futilibus Grammaticorum placitis, nominis immortalitatem parandam putares, sed ex eis disciplinis, quae et divino ingenio tuo sint convenientiores, atque unde plus utilitatis ad Christianam Rempublicam et ad pietatem, cui omnia studia nostra consecrari debent, permanare posse videatur. Qua in re cum te consilio meo acquievisse, et amico de salute tua anxio aurem praebuisse scribas, non possum non vehementer gaudere, me tibi authorem huius studii suscipiendi fuisse,

unde nescio maior ne ad Rempublicam utilitas, an ad te voluptas sit perventura: eiusque deserendi, unde non solum nihil emolumenti Christianae Reipublicae, verum etiam ingens tibi molestiarum cumulus sit expectandus; neque minus tibi quam cum excetra negocium sit habendum, cum qua qui confligantur, iis uno, illi monstro, praeciso capite, decem alia e vestigio suppullulascere, poëtae fabulantur. Sed nolo mihi tantum laudis arrogare, ut te ab hoc studio, adeo a natura tua alieno, ut ἐκ διαμέτρȣ cum illa pugnare videatur, revocatum aut deterritum mea opera esse, mihi persuadeam; cum hoc exploratum habeam, te propediem in eandem cogitationem, etiam me impulsore remoto, fuisse deventurum. Nec enim me latet, te partim natura duce, iudicii tui instinctu, partim ex authorum indefessa irrequietaque lectione satis assequi, quam sint exigui momenti bonae literae, nisi in eum finem tanquam scopum praestitutum dirigantur, ut gravioribus disciplinis inserviant, et difficultates, quae studiosos, ut marina vada navis cursum, remorantur, expediant atque deturbent, adeo ut hoc nomine a prudentissimis hominibus ancillares disciplinas, optimo iure, nuncupatas esse videamus. Nam qui in his conquiescere se, aut certum aliquod perfugium et portum reperire posse confidit, nae ille pulchre Sisyphi, quod aiunt, saxum volvit,

et

et si duplicetur aetas, nunquam inveniet, ubi pedem figere, ubi subsistere possit, semper aliquis scrupulus anget, semper fatigabit molesta investigatione aliquid. At certe fac falso hoc a me esse dictum, quid tum postea? quid, per deos immortales, aliud tibi ex hac miseriarum et laborum Iliade, ex tot vigiliis, et nonnunquam gravi valetudinis iactura sperandum est fructus, praeter id unum, quod Val. Maximus ait, quodque ipsae illae nomine suo produnt, ut politius aliquanto ingenium reddatur, non ut melius, quam utilitatem cum histrionibus et saltatoribus habiturus es communem: quod si tibi non satis constet (fit enim fere, ut ea studia, quibus a teneris adhaerescimus, nos etiam in provectiorem aetatem comitentur, proque iis tanquam aris et focis sedulo digladiemur) exue nonnihil affectus illos, et ad libellam expende artes istas politiores, ac vide quid in se habeant boni. Occurret tibi primum Grammatica. Quid illa, praeter anxiam quandam et superstitiosam vocabulorum proprietatem, investigat? Quid Rhetorica, quae eloquentiam, ne dicam inanem quandam linguae volubilitatem et facundiam pollicetur, et Histrionicam aemulatur. Roscius enim, cum illi aliquando certamen initum cum Cicerone esset, pluribusve unam rem gestibus, quam Cicero verbis, posset exprimere, de affinitate quadam Eloquentiae

cum Hiſtrionia librum compoſuit. Quid Dialectica, quae probabiliter differere docet, et argutiis fallaciisque tanquam vulcaniis vinculis ignaros irretire? Quid Poëſis, quae componendi carminis rationes ſuppeditat; ut poſſis pedibus verſum concludere ſenis? quid haec omnia, quid alia quam plurima, quae hic adiicere nimis longum foret? ubi magna animi contentione, impenſis ſummis, exercitatione aſſidua ſunt conquiſita, quidnam obſecro conſequutus es, praeter ornamentum quoddam exile et praetenue? quid boni habes, ſi earum uſum ignores, quid non potius mali, adeo ut tanquam puero gladium in manus dediſſe videare? Nec enim hic recenſere libet, quantum detrimenti ſaepenumero Rebuspublicis ab diſertiſſimis hominibus, quique totam aetatem in eloquentiae liberaliumque artium ſtudio protriverunt, ſit profectum. Dies enim me citius quam oratio deficeret, ſi quas calamitates oratoria, quas iterum poëſis invexerit, velim perſequi: cum hoc ſatis conſtet, olim apud integerrimos quosque utramque facultatem probro habitam, et a prudentiſſimis legum latoribus, Lycurgo, Solone, atque adeo divino illo Platone, ignominia ſumma exilioque affectos eos, qui nimium temporis in his ſupervacaneis artibus conſumpſiſſent, cuius rei luculentiſſimos teſtes, hiſtorias et annales habemus, ex quibus hoc

hoc unum adferam, Homerum (quem tanquam naturae quoddam miraculum suspicimus, et cuius nomen non sine magna praefatione honoris usurpare consuevimus) ab Atheniensibus, tanquam mania quadam praepeditum, atque extra rationis limites aberrantem, quinquaginta drachmis mulctatum; ut Q. Fulvium praeteream, quem a Catone prudentissimo viro graviter taxatum legimus, quod Proconsul in Aetoliam missus, comitem itineris esse Ennium passus fuisset. Grammatica item et Dialectica vel hoc nomine passim male audit, quod qui in his solis nimium laborant, vocabula et res omnes ad suam libidinem quaestumque detorquent, veritatem Labyrinthis quibusdam implicitam tenent. Adeo immodicum istarum artium studium fere suos cultores in perniciem trahit, et pro thesauris carbones rependit. Caeterum si graviori alicui disciplinae copulentur, tum primum fructus ubertate labores illis aliquando insumptos compensant. Neque enim unquam eos audiendos duxi, qui hunc unum Dialectices finem statuunt, ut secundum horum praescripta super proposito themate probabiliter quis differat, quod et pueri non admodum accurate in trivialibus scholis instituti facere solent; sed ut Dialecticis demonstrationibus quis adiutus sententiam ferre de uniuscuiusque authoris scriptis libere possit, et quid ra-

rationi consentaneum sit, quid ab hac discrepet, velut ad Lydium lapidem explorare. Praeterea, qua quid ratione, quove ordine dicatur, is qui probe in hac arte versatus sit, minimo negocio perspiciet. Cum enim gravissimi authores methodo quadam in scriptis suis sint usi, fit fere, ut, qui Dialecticus non sit, is inconsulto suum instar per ea volutetur, ac ubi ad calcem alicuius libri peruentum sit, nullum aut perquam exiguum lectionis suae fructum percipiat: at vero qui Dialecticae assuevit, is summo quodam artificio, rationum demonstrationumque momenta pensitat; unde eleganter Epictetus Stoicus apud Arrianum Dialecticam mensurae libraeve assimilat, quia, sicuti frumento mensurando ponderandove, mensura librave est opus, notitiaque earundem, sic Dialectica, veluti libra, cuiuslibet rei rationes examinat atque ponderat, veritatem falsitatemve investigat, adeo ut hac ignorata certam rerum cognitionem, distincte, aperteque, sine ulla vacillatione consequi non possimus. Propone tibi Galenum tuum, magnum profecto ad hunc intelligendum nactus es compendium, si Dialecticus es. Is enim ita praecisas subinde rationes rationibus annectit, ut multi illius libri, a peritis huius artis hominibus, ad nudos Syllogismos redigi possint: qüin et ipse, cum Dialectices utilitatem perspectam haberet, libros 6.

de

de Demonſtratione, praeſtantiſſima huius artis parte, compoſuit, qui utinam non eſſent, ut alii innumeri, carioſa vetuſtate conſumpti! Sed quam ego ſum imperitus, qui Sus Minervam, quod aiunt, erudire velle videar, cum videlicet eadem quae ego, tu multo ante proſpexeris. Scribis enim ſordere tibi iamdudum, maiusque quotidie ſuboriri bonarum literarum faſtidium, quod diſceptari plerumque in literatorum hominum congreſſibus videas περὶ ὄνυ σκιᾶς, κατὰ τὴν παροιμίαν, de vocabulis, de fabulis, de aliis atque aliis rebus ſcitu indignis; deinde, quod longe miſerrimum eſt, quod nihil faciant εἰς τὰ ἄλφιτα, cum nimirum hac tempeſtate Principes ſint prudentiores, quam ut in Rhetores aut Poëtas liberalitatem ſuam exerceant: quin potius quidquid corradere, quidquid accumulare nummorum poſſunt, tutandis muniendisque ditionum ſuarum finibus, aut iisdem propagandis deſtinare: quo fit, ut ſtrenue nonnumquam eſuriant iſti literatores, qui animam vitamque ſuam a magnatibus mutuantur, quibus ſublatis ipſos etiam interire, aut ſaltem ad extremam inopiam redigi videmus. Scribis praeterea deliberanti tibi iam dudum cum animo tuo, quod potiſſimum ſtudii genus tibi ſit amplectendum, ex quo tibi nominis celebritatem, patriaeque tuae imo univerſo orbi ingentem utilitatem reportare poſſis, nullum di-

gnius visum esse, in quo quis omnes ingenii sui nervos contendat, quam Medicinam, tum quod nihil generi humano hac una excogitari possit conducibilius, nihil, authore Plutarcho, maiore voluptate studiosorum animos permulceat, nihil honestius, nihil denique magis necessarium. Cum enim tribus rebus omnis Respublica contineatur, Religione, sanitate civium, aequi ac boni observatione, tres etiam facultates, a quibus ea mutuamur, sunt ab ingeniosissimis hominibus institutae, auctae, et perfectae, Theologia, Medicina, et Iurisprudentia. Ac primum quidem laudanda est Theologia, quod omnes ex aequo homines spectat, omnibusque peraeque est necessaria: sed ab hac, quae hodie in scholis docetur, deterreri te scribis, quod bona aetatis pars in hac sit consumenda, priusquam aliquo usque provectus videare, cumque iam Doctorum omnium suffragiis tantum promovisti, ut nulla eruditionis accessio fieri posse videatur, Magistri Nostri titulo id comprobante; usu venire quotidie, ut haeretici nescio quibus praestigiis, tametsi parum admodum temporis et pecuniae eruditioni titulisque comparandis impenderint, ita istorum rationes, quantumvis videantur veritati consonae, impugnent, ut turpiter cum togis et capistris suis in luto haereant, adeo ut aegre manibus, quod aiunt, pedibusque connixi,

nixi, erigere se possint, quo ad azyla refugiaque sua, quae et tutissima habent et plurima, confugiant: quae omnia fidem tibi facere scribis, parum firmis rudimentis Theologiam hanc esse stabilitam, cum ita saepe ab adversariis, nulla ex parte tam diu in ea discenda versatis, nec ita in ea Dialectices parte, quae de fallaciis ac circumventionibus agit, exercitatis, eorum scita et decreta impugnentur, ut tantum non subvertantur, et falsa esse demonstrentur; atque, ut eorum placita sint quam maxime sancta, violari tamen ab improbis hominibus saepenumero, impetratis ab ipsorum Θεῷ ἐπικούρῳ pontifice dispensationibus: atque his quidem rationibus te ab hoc studii genere deterreri. Iuris vero ac legum prudentiam scribis nunquam tibi adeo probandam esse visam, ut quis in hoc studio consenescat: habemus enim insitos nobis a natura igniculos, qui nobis quid aequum, quid iniquum sit dictent, adeo ut supervacaneum sit aequi ac iusti investigationi totam vitam impendere, quae nullum usum generi humano salutarem habeat. Recte enim Demonactes et prudenter Leges frustraneas esse hoc argumento comprobare est solitus, quod bonis viris, quique nihil rationi aequitatique dissentaneum facerent, Leges constitui non deberent. Cum enim lex omnis imperet honesta, prohibeatque contraria, boni que etiam, si nulla

lex

lex extet, honesta amplectantur, turpia ac inhonesta natura duce fugiant, vi ac minis eo impelli non debent, quo sua sponte ducuntur. Mali vero, ubi nequitiae frenos iniici, libidinemque suam coërceri legibus vident (non aliter quam impura corpora si nutriantur, eo magis laeduntur) tantum abest ut ex iis proficiant, ut multo reddantur deteriores. Sed ut haec missa faciamus, praxis ipsa sive Iurisprudentiae finis hic est, ut forensibus rabulis obsurdescas, in litigiis iudiciisque (quae cum debeant ferri aequissima, saepenumero inflecti gratia, perfringi potentia, adulterari pecunia videmus) aetatem consumas; ut non immerito sapientissimos viros forum modis omnibus detestatos esse videamus. Anacharsis enim Scytha, quem sapientibus Graeciae adiicit Laertius, forum ad fallendum inuicem, atque ad dandas avaritiae manus destinatum locum esse dicebat: quod certe quotidiana experientia abunde testatur, cum omnes fere, qui se huic addixerunt, repente fiant divites, atque hinc omnes cuiuslibet ordinis homines ad hoc velut quoddam accumulandarum opum compendium confluere, quod et Moderatus Columella sensit, et Plutarchus, qui in libello de Foenore forum τῶν ἀσεβῶν χώραν appellat. Et certe magna est foro cum Φόρῳ affinitas, ac ne hanc societatem nominis repudient, sunt plerumque

φορα-

φορολόγοι Iuriſperiti, adeo ut multis compoſitis libris foenus laudent, et divino humanoque Iure licitum eſſe contendant. Indignam itaque Iurisprudentiam putas, in qua tantum operae et laboris collocetur, cum adeo non ſit neceſſaria, ut, hac ſublata, dubites praeclariuſne cum rebus humanis agatur, cum hac exploſa forenſes lites et contentiones omnes, teterrimae generis humani peſtes, exterminentur, quae, cum miſerorum hominum pecuniam emungant, Iuriſperitos locupletes reddunt et deos quodammodo faciunt. Medicinam vero ſcribis non poſſe tibi non multis nominibus probari, primum, quia nihil hac diſciplina reperiri poſſit magis neceſſarium. Collabi enim omnia atque in fatalem interitum ruere, ni periclitanti ſubinde hominum vitae medicus ὡς ἂν ἀλεξίκακος θεὸς ſuccurrat, debilitatam valetudinem inſtauret, vitam propemodum extinctam recuperet, firmamque ac ſtabilem conſervet: quo nihil honorificentius, nihil divinius excogitari poſſit, cum vitam naturae acceptam ferre debeamus, eandem conſervatam et a morborum mortisque violentia vindicatam, medicae artis perito: adeo ut Homerus ille, quem philoſophorum omnium maximum poëtam, poëtarumque omnium ſummum philoſophum merito nuncupamus et veneramur, Medicinae praeſtantiam ſublimitatemque admiratus, eius laudes hoc divino

vino elogio amplificaverit, Ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, quod et ipsum sacrae literae comprobant, quae summum honorem tribui medicis volunt, quod his destitutae res humanae nullo pacto subsistere possint; tum etiam nihil esse, quod maiorem voluptatem, teste Plutarcho, in contemplatione praebeat, nihil denique Christianae pietati congruentius hoc studio excogitari possit; ideoque decrevisse te, in hoc studium, velis remisque, quod dicitur, incumbere, et ex hac arte viam tibi ad immortalitatem nominis sternere, ut te quoque possis, Tollere humo victorque virûm volitare per ora. Haec omnia prudenter abs te acuteque collecta (praeterquam quod de Theologia odiose satis παῤῥησιάζεις) non mediocrem tui admirationem cum mihi, tum aliis aliquot iuvenibus, quibus communicanda existimabam, iniecerunt, adeo ut, cum Lovanium veneris, explendum sit tibi apud multos videndi tui desiderium, ex indole tua eruditioneque profectum. At quod ordinem tibi praescribi postulas, quem sequaris, ostendique, quibus rebus instructum te huic studio accingi oporteat, facis id quidem tuo more, sapienter imprimis et circumspecte. Cum enim nihil in Republica, nihil in militia, nihil in familia, nihil denique in universo mundo, sit pulchrius, quodque maiorem commendationem mereatur, quam

or-

ordo: tum certe in ſtudiis inſtituendis et formandis plurimum momenti habet; adeo ut hoc ſublato nihil certo, aut dilucide diſtincteve diſci poſſit, obſervato vero, omnia meridiana luce clariora prae oculis verſentur. Caeterum quod me huic provinciae gerendae putas accommodum, rogasque per ſacroſancta amicitiae iura, ut hac in parte conſilium operamque meam tibi praeſtem, Ἀρκαδίαν μ' αἰτεῖς. Sum enim mihi probe conſcius imbecillitatis meae, quippe qui pueriliter adhuc in ſerperaſtris Medicinae repo. Quid? tun', cuius ſingulare iudicium prudentiamque ſolemus admirari, hoc a me, qui Medicinam vixdum a limine, quod aiunt, ſalutavi, exigendum putas, cui neſcio an quis poſſit ſufficere, qui totam aetatem huic arti impenderit, compendiaque omnia ad unguem teneat! Profecto niſi te abundantia quadam amoris erga me luxuriare certo ſcirem (quo affectu qui ſunt praepediti, iis in iudicando mentis oculos caecutientia quadam praeſtringi, effaſcinarique, quo minus veritatem videant, author eſt Plato) irrideri me abs te exiſtimarem. Iam vero cum hoc perſuaſum habeam, te mihi ſemper fuiſſe chariſſimum, et te, ea, quae loqueris, ex animo loqui, moderate feram tantum honoris mihi deferri, etiamſi minima omnia longeque infra mediocritatem poſita lubens agnoſcam. Barbarus enim

ſim,

ſim, ſi honorificam exiſtimationem, de ſtudiis meis conceptam, repudiem, aut vilipendam, cum etiamſi res ipſa abſit, laudandam tamen eſſe opinionem, quam de ſe quiſpiam concitavit, tanquam bono proximam Euripides aliique multi celebres viri teſtentur. Quocirca cum me non ſine magna exiſtimationis meae iactura, aut contemptus tui gravi ſuſpicione, petitioni tuae ter iuſtae et honeſtae deëſſe poſſe viderem, et alterutrum eſſet eligendum, obſecundare voluntati tuae, quam deëſſe turpiter ac flagitioſe malui; breviterque, quantum epiſtolae anguſtia patitur, planeque, prout ingenii mei tenuitas fert, quo pacto Medicinae ſtudium auſpicandum, perſequendum, perficiendumque ſit, declarare. Primum itaque (ſi meum iudicium requiris) priusquam te totum Medicinae ſtudio dedas, adminicula quaedam et auxiliatrices machinas idoneas inſtituto tuo comparandas eſſe exiſtimo, ſine quibus nihil in artibus, ut nec in opificiis mechanicis, effici poteſt. Ut enim faber aedificare non poteſt, niſi regulis, perpendiculo, norma, amuſſi, reliquaque armorum fabrilium πανοπλία ſit inſtructus: ita Medicum parum laudis ex arte illa reportaturum eſſe iudico, qui non Philoſophiae naturalis praeceptis imbutus ad Medicinam acceſſerit, Graecarum literarum, et Dialecticae ſit peritus. Nam quod ad Philoſophiam atti-

attinet, quis eſt, qui ſe primordia ipſa Medicinae aſſequi poſſe confidat, niſi ex Phyſiologia, principiorum, elementorum, generationis et corruptionis, animae denique cognitionem hauſerit, et intima Phyſices penetralia perluſtraverit? Quod qui fecit, quique ſe diu multumque in naturae contemplatione exercuit, ac tum primum ad Medicinam ſe contulit, is, cum eadem, quae in Phyſica per tranſennam quodammodo ſpeculatus eſt, hic apertius explanatiusque declarari videt, incredibili quodam eius amore inflammatur, et tanquam guſtato nectare dies ac noctes in eo ſine ullo taedii ſenſu conſumit. Qui vero, hac ignorata, et ἀνίπτοις quod aiunt χερσὶν, inconſulte ad Medicinae ſtudium confluunt, iis aſpera incultaque omnia eſſe videntur: adeo ut multi, Phyſices omnino ignari, in ipſo portu, quod dicitur, impingant, gravitateque ſtudii deterriti, ad alia ſtudia levitate commendatiora ſeſe transferant. De Graecis literis idem fere iudicium eſt. Qui enim harum imperiti temerario quodam impetu ſe ad Medicinam conferunt, ubi totius corporis humani partium, morborum, herbarum, medicamentorum nomina, Graecis vocabulis contineri vident, neque ſine ſumma difficultate memoriae mandari ab ignaris Graecae linguae poſſunt, fit ſaepenumero, ut eam tanquam barbaram damnent, et Medicis omnibus laqueum

mandent: cum is, qui Graece calleat, non possit sine summa quadam voluptate utilitateque artificiosam illam vocabulorum compositionem admirari. Cum enim nominis definitio multum ad rei cuiuslibet explicationem faciat, is, qui etiam Graeca literatura est exercitatus, e solo nomine universam rei naturam intelligit, inexercitatus vero id requirit, ut eiusdem vocabuli definitiones sibi praescribantur, quae naturam explicent, quod quam sit verum, exemplo facile elucescet. Finge rudem quempiam Graecaeque linguae ignarum atque insolentem medicinae studio se dedidisse, atque ipsa artis limina ingredientem legere, tres esse primas et generalissimas huius artis partes, φυσιολογίαν, ὑγιεινὴν et θεραπευτικὴν, aut παθολογίαν, αἰτιολογίαν et σημειωτικὴν, rursum διαιτητικὴν, φαρμακευτικὴν et χειρουργικὴν, vides, quantum tenebrarum Graecae linguae ignaro φιλιατρῷ in ipso introitu offundatur? quot monstra illi sint edomanda? Si enim haec intelligere volet, investiganda est ipsi omnium istorum definitio, et stricto quodam ordine singula sunt memoriae infigenda, ne, cum illis vocabulis sit utendum, turpiter unum pro alio usurpet. At qui Graecus est, nullius interpretis ope indiget, nihil illi est investigandum; naturam enim rei ex ipso vocabulo exploratissimam habet. Sed quid his immoror? cum hoc doctis omnibus constet,

man-

mancum esse Medicum, qui Graecam linguam ignoret, atque adeo vocabula artis, quam profitetur, non intelligat. De Dialectica superest ut dicam, quae quam sit necessaria Medico, qui non vulgarem laudem ex arte sua reportare decreverit, facillime te ex superioribus intellexisse arbitror, cum sit a nobis ostensum, non aliter quam indice aurum, ita hac arte veritatem falsitatemque cuiuslibet rei argui atque examinari. Quocirca, nisi me monitorem respuis (respuere autem sine levitatis inconstantiaeque nota non potes), Physicae quantum poteris plurimum operae impendes, Graecas literas, in quibus mediocriter es versatus, frequenti exercitatione et authorum multa lectione confirmabis, eorum praecipue, qui ad institutum tuum spectent, ut sunt ii, qui de naturalibus rebus crebras disputiones habent, ut Theophrasti de historia plantarum, de igne, Aristotelis de animalibus, Plutarchi de placitis philosophorum, quos omnes si Graece legas, duplicatum inde fructum es percepturus; nam et linguae graecanicae cognitio maior accedet, et philosophorum super naturalibus rebus sententias in promptu habebis. Dialecticae vero eam partem, quae de Demonstratione agit, maxime tibi familiarem facies, in ea tibi desudandum est, ut hac, tanquam coronide quadam eorum, quae praemittenda Medicinae stu-

dio esse dixi, secundo aestu ad ipsam Medicinam, quod dici solet, ferare; in qua quo pacto sit instituendus moderandusque cursus studiorum tuorum, sic habe. Propositum tibi ante omnia subiectum, cognitusque finis eius artis, quam discendam suscepisti, esse debet, ad quem, tanquam ad scopum, omnia studia tua, omnes conatus dirigas necesse est, si laude dignum aliquid ex hac arte voles consequi. Cum autem Medicinae finis sit corporis humani sanitas, eaque vel sit conservanda, ne detrimenti aliquid ab extraneis rebus patiatur, vel laesa iam et debilitata recuperari debeat, investiganda tibi primum est et ad unguem tenenda corporis humani fabrica, eiusdemque natura, quae facile constabit ex ἀναλύσει Dialectica, si totum et universum in partes quasdam seces, compositum in simplicia, si denique effectuum causas remotas et propinquas investigas, atque a posterioribus ad priora occultioraque quaedam initia secedas, atque ita corpus humanum primum in partes similares et dissimilares et instrumentales dissolvas, quae cum frigiditate, caliditate, humiditate, siccitateque sint diversae, consentaneum est, quatuor esse elementa, quae his qualitatibus sint praedita, quaeque inter se totis tota permixta, temperamenta varia efficiant. Atqui haec aliaquae multa, quae ad cognoscendam corpotis humani fabricam sunt necessaria,

ria, ut de calore nativo, qui ſpiritu humido primigenio comitatus nobis vitam impertit, et cerebri facultate, a qua ſenſus et motus proficiſcitur, e Galeni et Hippocratis libris ſunt ediſcenda. Nec enim eorum conſilium probare poſſum, qui Medicinae cognitionem ex iis authoribus petere malunt, qui epitomes quasdam conſcripſerunt, cum ſaepenumero videamus, eos male affectato compendio in maxima ſtudiorum ſuorum diſpendia incidere: ego certe in ea ſemper ſententia fui, ut e limpidis fontibus potius ἄκρον ἄωτον, quam e turbidis lacunis τὸ συρφετὸν accerſam. Evolvendus itaque tibi eſt diligenter Hippocratis de natura humana liber, Galenus de elementis, legendi eiusdem libri duo de temperamentis, nam tertius de medicamentorum ſimplicium temperamentis ſolum agit, cuius lectionem aliquamdiu ſuſpendas. Praeterea Anatomica diſciplina ad naturae humanae cognitionem multum conducet; nec enim corpus humanum de ſuperficie ſolum eſt contemplandum futuro Medico, ſed introſpiciendum ſaepenumero, ut ſingularum partium corporis ſubſtantiam, magnitudinem, numerum, figuram, ſitum, ὡς ἀντῶν ἰδίων ὀνόματα δακτύλων cognitam habeat. At ſi forte Anatomen videre non liceat, (ut magnus hic eſt illius rei neglectus) Galeni libros περὶ τῶν ἀνατομικῶν ἐπιχειρήσεων, adeo ac-

curate et vere ſcriptos, ut nihil in his deſiderari poſſit, nihil doctiſſimorum hominum induſtria accedere, nocturna verſato manu, verſato diurna, ut,naturam humanam tanquam in ſpeculo contemplatus, videas, quo pacto conſtitutae corporis particulae munus ſuum illaeſae obeant, ac quibus rationibus illarum functio laedatur: atque ubi ad hanc Medicinae partem perveneris, tum primum tibi conſtabit, quantum compendii ſit allaturum Phyſices ſtudium, cum ea, quae ibi de aëre, motu ac quiete, ſomno et vigilia, et de animi perturbationibus audiviſti, repeti hic ſumma cum voluptate ſenties. Atque hanc quidem partem, quae ὑγιεινὴ appellatur, quae ſanitatis conſervationem docet, ne per ſumenda, admovenda, educenda, faciendaque laedatur, facillime conſequeris, ſi primam partem, de qua diximus, φυσιολογίαν videlicet, probe calleas. Iungenda tamen eſt diligens lectio, quae te doceat, quo modo caducam hanc et lubricam ſanitatem noſtram, ab omni inſalubris cauſae impetu integram, aut integrae certe quam proximam, diu conſervare poſſis. Legendus eſt itaque frequenter, de alimentis Hippocratis liber, cum Galeni comment., Galeni de eodem argumento libri tres, in quibus ea, quae intro aſſumuntur, quo pacto valetudinem laedant, demonſtratur; de re venerea Hippocr. liber, qui educenda tractat; de lavationibus eiusdem

liber, qui admovenda docet; de exercitatione per parvam ſphaeram Galeni liber; de ratione victus ſalubris Hipp. cum Gal. comment.; de ſanitate tuenda Gal. lib. 6.; de conſuetudine facienda liber unus. Sed quoniam ſanitas integra omnino ſervari ſemper non poteſt, atque adeo dirum telum corruptelae, et interitus neceſſitas nobis incumbit, fit, ut alia huic parti ſuccedat, quae Pathologia nuncupatur, quae ob ſumendorum, educendorum, admovendorum, et faciendorum mutatam quantitatem, qualitatem, praefinitum tempus et numerum, generatos morbos enumerat, qui cum tot ſint, ut nullo numero comprehendi poſſint, nihil ego hac in parte praecipi poſſe exiſtimo, quam ut qui cuique aetati, loco, tempori, morbi conveniant, qui ſimilarium partium ſint peculiares, qui organicarum, qui utrisque communes, quique ex debita magnitudine, numero, figura, ſitu, connexione tam ſimilarium quam organorum, vitiatis oriuntur, ad unguem Medicus calleat: quod ex accurata lectione librorum Galeni eſt comparandum; nam qui partibus, quas ὁμοιομερεῖς appellant, morbi accidere ſolent, declarat lib. de inaequali intemperie Galenus, cui commentarius acceſſit viri doctiſſimi Antonii Buſennii; quin et libris de differ. febrium ſimilares morbos fuſe perſequitur; organicos libro, quem de

comitiali morbo composuit, et de tumoribus praeter naturam, communes vero libris 6 de differentiis et causis morborum et symptomatum abunde pertractat. Quibus cognitis, superest, ut te bonis avibus ad praestantissimam illam Medicinae partem conferas, quae θεραπευτικὴ appellatur: haec enim est illa, quae, explorata morbi essentia, causa, symptomatibus, signis, salutaria medicamenta adhibet, pristinamque sanitatem hominibus restituit. Huius tanta est praestantia, ut, qui olim hac Medicinae parte excelluerint, in deorum numerum sint relati: at certe, quanta reliquis partibus utilitate dignitateque antecellit, tanto etiam maiorem diligentiam ingeniumque divinius requirit. Tenenda tibi est primum herbarum omnium medicamentorumque genuina proprietas et efficacia, quorum prius illud Dioscorides, Plinius et Galenus, posterius cum Dioscorides et Plinius, tum praecipue Galenus libro 3. de temperamentis, aliis item duobus de facult. simplicium medicamentorum, atque alio de medicamentis purgantibus humores, fusissime declarat; horum omnium adhibendorum modus, quantitas, qualitas, tempus, discenda sunt tibi ex lib. 14. de methodo medendi Gal., ex arte curativa ad Glauconem, et iuniorum, si videbitur, Medicorum scriptis; sed cum maximus in delectu error esse soleat, I. o. Baptistam Montanum, Iacobum Syl-

vium, Ioannem Fernelium inſtar omnium habe: illi enim doctorum omnium calculis ſic approbantur, ut ſi vel Aeſculapius ipſe reviviſcat, verius quicquam non poſſe ſcribere, quam iſti, credatur. Obſequutus iam ſum petitioni tuae, qua ordinem quendam praeſcribi tibi a me poſtulabas, quem in Medicinae ſtudio obſervares. Faciam itaque finem, ſi hoc unum addidero, ut auroram gravioribus ſtudiis impendas, quod tum temporis ingenii vires ſunt robuſtiſſimae, inſtructum eſt enim ex ſomno animalibus ſpiritibus cerebrum, tum etiam dies ſua habet avocamenta: iam congerrones, modo prandium, modo aliae atque aliae remorae e medio ſtudii tui curſu te revocant. Succiſivis horis oblecta te iis ſtudiis, quae βιωφελῆ ſunt et delectant: huiusmodi ſunt problemata Ariſtotelis aut Alexandri Aphrodiſei, quae de rebus naturalibus iucundas ac utiles quaeſtiones habent; ſunt et alia multa, ut Plutarchi quaeſtiones Sympoſiacae, Macrobianae coenae, Athenaei deipnoſophiſtae, quae, cum ſint lectu perquam iucunda, inſtituto tuo mirifice conveniunt. Deinde aliud eſt, quod te monitum velim, ut videlicet quam potes creberrimas de ſtudiis tuis commentationes apud commilitones tuos habeas: nihil enim ingenium magis acuit, nihil certius docet, quam diſputatio, nihil praeterea magis animum ad diligentiam extimulat,

quam aemulatio, inter eiusdem vitae ac ſtudii iuvenes. Sed reprimam me, ne epiſtolae limites transgrediar, quos neſcio an ſatis obſervaverim. Demetrius enim Phalereus in libro περὶ ἑρμηνείας author eſt, epiſtolam, quae grandior facta eſt, non tam epiſtolam dici debere, quam librum, cuius initio aſſcripta ſit ſalus. Sed ego has leges Grammaticorum non moror. Hoc tantum abs te peto, ut benevolentiam meam boni conſulas et me ames. Vale. Lovanii, poſtridie Cal. Decemb. Anno 1556.

AVCTA-

B.

AVCTARIVM

LEGATI PAPENBROEKIANI.

Postquam Academiae Lugduno Batavae supellectilem suam veterum monumentorum, eamque pereximiam, testamento legasset *Gerardus Papenbroekius*, Vir Amplissimus, eiusdemque descriptionem Clarissimus *Franciscus Oudendorpius* edidisset, aliorum liberalitate accesserunt multa antiquitatis Graecae ac Romanae monumenta alia, et in Museum publicum illata sunt. Quam rem cum, in Narratione de rebus Academiae Lugduno Batavae seculo decimo octavo prosperis et adversis pag. 96 et 97, paucis tetigerim, lectoribus quibusdam haud ingratum fore existimo, si praecipua prisci temporis monumenta, quae nunc etiam in Museo Academico asservantur, hoc loco commemorem, adiectis annotationibus, in quibus conscribendis hic illic adiutum me esse schedis *Oudendorpianis* MSS. gratus agnosco.

Num

Num. I.

Victoriae sigillum aeneum, inventum in subterraneis detectae urbis Herculanei, Titi tempore per Vesuvium obrutae, missumque ex Italia ad Cl. *Allamand*, et ab eo a. 1753 dono datum Academiae.

Signum est elegans alatae Victoriae, altum pollices 5, alis fere 2 pollices supra caput eminentibus; tenui chlamyde et longa, sed laxe fluida veste amictum ferme ad nudos pedes, nudis brachiis, quorum dextrum extensum manu gestat erectam coronam lauream; sinistra gerit ramum palmae, recumbentem brachio et humero; crinibus intortis, et coma in cincinnos erecta. Fusum videtur sigillum, certe aversum est excavatum, nisi a capite usque ad alarum radices. Circa nates habet laminam perforatam, qua alteri rei per clavum fuit annexum. Furto subreptum esse, monet *Oudendorpius*. Factum id est ante annos circiter quadraginta ab homine peregrino ignotoque, qui visendi Musei ergo Leidam venerat, atque, detectus comprehensusque in fuga, se abdebat in aedes Cl. *Hemsterhusii*, eo ipso tempore fur-

furtum commissum ignorantis. Quod narro fide testis oculati.

Num. II et *III.*

Duo capita marmorea, Smyrnâ allata: quorum unum elegantissimum creditur esse Augustae Faustinae, a sinistra conspiciendum; alterum comis crispis viri est ignoti Asiatici vel Smyrnensis. Utrumque a. 1754. Academiae dono dedit *Iacobus Fremeaux.*

Num. IV.

Sepulcrale monumentum candidi marmoris, latum pedes 2 et pollices 8, altum uno pede et 5 pollicibus, ac 7 pollices crassum, habet insculptum virum barbatum crinitumque, pallio talari amictum, et in lecto accubantem, sinistro cubito culcitis innixo, ac manu sinistra pateram tenente. Dextra, in altum extensa, premitur instrumento, nescio quo. A sinistro viri latere adstat tripes mensa, cibariis et poculis instructa. Ad pedes viri erigitur arbor arida, quam circumfluit serpens. Post caput, quasi in pariete, apparet equi caput et collum. Infra currit porcus, cuius medium corpus circumdat sertum, et quem pronus servulus manibus tenet ambabus.

bus. Pone porcum ſtat vir tunica pallioque talari, quod ſiniſtra manu tenet, indutus, et calceatus, atque iuxta eum in angulo ſervus, dextra manu cantharum tenens. Ab altero ſeu ſiniſtro monumenti angulo ſtat ſervus, paulum reclinans, ſive ſemiſupinus, in parietem, lugens, et otioſas manus invicem conſtrictas habens, pedibus etiam complicitis; iuxta eum ſtat vas vinarium magnum, affabre ſculptum. In ſuperiori margine haec eſt inſcriptio:

(T)

ΗΡΟΔΟΤΟΣ ΑΝΤΙΑΛΚΙΔΟΥ ΠΡΥΤΑΝΕΥΩΝ . . Ο ΔΕΥΤΕΡΟΝ
ΚΑΙ ΟΙ ΠΑΡΑΠΡΥΤΑΝΕΙΣ ΤΗΙΑΔΗΙ

Vertit Oudendorpius: *Herodotus Antialcidae filius* (vel *Alcidae vice*) *curator ſecundum, et ſubcuratores inferorum deae* (ſacra fecerunt). Cum ſit nomen *Alcides* notum, ſed *Antialcides*, quantum ſciam, nuſpiam in ſcriptoribus lapidibusque et numis antiquis legatur, opiner legendum ἀντὶ Ἀλκίδου, *loco, vice Alcidae:* niſi contrarium iubeant antiquitatis peritiores. Quae de Prytanibus Smyrnaeorum copioſe diſputavi in diſſertatione de numis quibusdam Smyrnaeorum, ad illud usque tempus ineditis, tom. IX commentariorum Societatis ſcientiarum Zeelandicae pag. 481—506, poterunt forſitan ea inſervire il-

illustrandae huic inscriptioni, at certe ex illa confirmari augerique et emendari. Παραπευταvίων non recordor alibi factam esse mentionem. Rarius est ἡ ἅδης, sive vertatur *dea inferorum*, cum *Oudendorpio*, sive ratione alia quacumque. Nec tamen audeo ΤΗΙΑΔΗΙ mutare in ΤΗΙΗΙ *Teiae*, ut est apud Comitem *de Caylus*, Récueil d'Antiquités tom. II p. 175. Si cui placeat coniectura *Oudendorpii*, sacra esse facta Teiae Cereri, addi possit, in sacris Cereris porcos sive porcas immolari consuevisse. Vid. *Varro* lib. II de R. R. cap. 4, *Cato* de R. R. cap. 134, *Macrobius* lib. I Saturnal. c. 12.

Smyrna missum est Academiae donum ab Ill. Comite *de Hochepied*, Consulis nomine mercatorum negotia publice illic curante.

Num. V.

Marmorea lamina, lata pedes 4 et uncias 3, alta pedes 2 et uncias 5, crassa unciam, per serram dissecta de quadrata basi, cui institit statua. Eius haec est inscriptio:

ΓΑΙΟΝ ΒΙΛΛΙΗΝΟΝ ΓΑΙΟΥ ΥΙΟΝ ΠΡΕΣΒΕΥΤΗΝ
ΡΩΜΑΙΩΝ ΟΙ ΕΝ ΔΗΛΩΙ ΕΡΓΑΖΟΜΕΝΟΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ
ΕΝΕΚΕΝ ΤΗΣ ΕΙΣ ΕΑΥΤΟΥΣ ΑΝΕΘΗΚΑΝ
ΑΓΑΣΙΑΣ ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ ΕΦΕΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ
ΑΡΙΣΤΑΝΔΡΟΣ ΣΚΟΠΑ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ

Ga-

Gaium Billienum, Gaii filium, Legatum Romanorum, illi, qui in Delo negotiantur, beneficii in se collati ergo, posuerunt.

Agasias, Menophili filius, Ephesius fecit.

Aristander, Scopae filius, Parius instauravit.

Inscriptionem olim edidit *I. F. Gronovius* notis ad *Plinium* lib. XXXIV c. 8; item *Sponius* in Miscell. Erud. Antiquitatis pag. 121. Gaius Billienus putatur esse, qui laudatur a *Cicerone* in Bruto cap. 47, diciturque *C. Bilienus, homo per se magnus.* Ὁι ἐργαζόμενοι vertit *Sponius* male, *qui operantur.* Sunt *negotiatores, mercatores*, etiam dicti ἐργασταί in Marmor. Oxoniens. p. 300. Ἀνέθηκαν ponitur pro *statua honorarunt, hac statua venerati sunt, statuam hanc ei posuerunt*, sive *consecrarunt.* Ita quoque in aliis lapidibus literatis. Nonnunquam omittitur, ut apud *Sponium* l. c. p. 319 num. VI. Pro more artificum, adiungit Agasias, hanc Billieni statuam a se factam esse. Vid. *Gudium* ad *Phaedri* lib. V fab. I, et *Maffeium* in Museo Veronensi p. XXXVII. Aristander Scopae filius forte idem ille est, cuius meminerunt *Plinius* l. c. et *Pausanias* in Lacon. lib. III p. 296. Ἐπισκεύασεν minus recte a *Sponio* vertitur *curam habuit.*

Delo advectum hoc marmor possedit olim *Nicolaus Witsen*, Consul Amstelodamensis, redi-

dibus suis insertum, e quibus exemtum, Academiaeque a. 1748 donatum est a consultissimo *Bollaert*. Mercatus autem id erat *Witsenius* ab homine, qui, navibus per insulas Graeciae dimissis, marmora ac peregrinos lapides conquirebat, et lautius aedificantibus vendebat.

Num. VI.

Lapis sepulcralis candidissimi marmoris, latus pedes 6 et uncias 5, altus pedes 3 et uncias 2, crassus uncias 6, continens sequentem inscriptionem, literis elegantissimis, duarum unciarum magnitudinem excedentibus. Coniiciebat *Oudendorpius*, esse exemplum antiquioris inscriptionis renovatum, sed illud ipsum antiquum: e quo genere est lapis in *Maffeii* Museo Veronensi pag. 376. Certius est, hunc lapidem Tenedo, contra Troiam sita insula, allatum esse Smyrnam, indeque dono missum Academiae a laudato Comite *de Hochepied*. Inscriptio haec est:

Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΟΣ. ΕΘΗΚΑ ΤΗΝ
ΣΟΡΟΝ ΕΑΥΤΩ. ΚΑΙ ΤΗ ΣΥΜΒΙΩ ΜΟΥ ΑΥΡΗΛΙΑ
ΕΥΗΜΕΡΙΑ. ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΤΕΚΝΟΙΣ ΜΟΥ. Μ. ΑΥΡΗΛΙΩ.
ΠΡΕΙΜΩ. ΚΑΙ Μ. ΑΥΡΗΛΙΩ ΕΡΜΕΙΑ. ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΑ
ΔΙΟΝΥΣΟΔΩΡΑ. ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΑ ΕΥΗΜΕΡΙΑ
ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ ΑΝΟΙΞΑΣ ΕΤΕΡΟΝ ΝΕΚΡΟΝ Η ΟΣΤΕΑ
ΒΑΛΗ. ΔΩΣΕΙ ΤΩ ΤΑΜΕΙΩ Ӿ ƒΒΦ ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ Ӿ ƒΒΦ

M. Aurelius Dionysodorus posui hunc
Tumulum mihi uxorique meae Aureliae
Euemeriae et liberis meis M. Aurelio
Primo et M. Aurelio Hermiae et Aureliae
Dionysodorae et Aureliae Euemeriae.
Si vero quis aperiens alíud cadaver vel ossa
Iniecerit, dabit fisco denarios 2500 *et civitati denarios* 2500.

Literae pauciores in principio et fine hic illic vetustate detritae sunt, ex. gr. Π in Πρείμῳ, Ε et Α in Ὀστα, Β in Βάλη, et ultima Φ. Aurelius Dionysodorus vivus sibi suisque posuerat tumulum, ex more veterrimo et a plerisque gentibus recepto: de quo plus satis, ante hos quadraginta annos, dixi in disputatione historico-critica ad historiam sepulcri et sepulturae Iesu Christi, pag. 28 — 31. Exempla innumera alia possent adiungi, si utile foret. Comparetur tamen inscriptio *Num. VII.* Quae in fine adduntur de sepulcro non aperiendo, de aliorum cadaveribus ossibusve in illud non inferendis, praesertim de multa 2500 denariorum, fisco et civitati a τυμβωρύχοις solvenda, illustrantur a viris eruditis in Observationibus Miscell. Criticis vol. IV p. 355 — 357, et *Corsino*, cum in prolegom. ad notas Graecorum p. XXVI, tum in ipso illo opere p. 10, 11, 72.

Num.

Num, VII.

Lapis Parii marmoris, Thessalonicae inventus, altus 2 pedes et 10 pollices, latus 2 pedes et 5 pollices, crassus 10 pollices, 4 pollices profundus. In medio lapide conspiciuntur septem protomae, viriles et muliebres, ad vivum expressae, vestitae, et duabus seriebus seu ordinibus stantes. Legitur in marmore haec inscriptio:

ΑΥΡΗΛΙΟϹ ϹΩΖΟΜΕ . . . . ΤΕΜΙΔΩΡΑ

Hic habentur imagines patris ac matris
cum filiis ac filiabus.

ΖΩΝΤΕϹ ΕΑΥΤΟΙϹ ΚΑΙ ΤΟΙϹ ΓΛΥΚΥΤΑΤΟΙϹ ΤΕΚΝΟΙϹ ΑΥΡΗ ΛΙΑ ΕΥΚΛΕΙΑ ΚΑΙ ΡΗΛΙΑ ϹΩΖΟΜΕΝΗ ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΑ ΑΛΕΞΑΝΔΡΑ ΚΛΑΥΔΙΑ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΑ ΤΗ ΘΡΕΠΤΗ ΜΝΗΜΗϹ ΧΑΡΙΝ.

Aurelius Sozomenus et Artemidora (videntur enim verba Graeca supplenda ΑΥΡ. ϹΩΖΟΜΕΝΟϹ ΚΑΙ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΑ; vel cum Ill. *de Hochepied* nomini *Artemidorae* praemittendum ΑΥΡΗΛΙΑ: cui tamen coniecturae minus favet lacunae spatium) *vivi* (fecerunt hunc tumulum)

L 2 *sibi*

sibi liberisque dulcissimis, *Aureliae Eucliae*, *et Aureliae Sozomenae*, *et Aureliae Alexandrae*, (et) *Claudiae Artemidorae* (et) *ancillae domi natae*, *memoriae ergo*. In nominibus vix quidquam est difficultatis. Leguntur ea omnia passim in lapidibus literatis, etsi rarius *Euclia*, quod est tamen apud *Muratorium* MCXXXVII. 3 *Aurelia Euclia*. Versu tertio ΚΑΙ ΡΗΛΙΑ, vitio artificis, pro ΚΑΙ ΑΥΡΗΛΙΑ, atque versu quarto ante ΚΛΑΥΔΙΑ et ΤΗ bis omissum videtur ΚΑΙ, ut colligo e numero literarum. ΤΗ ΘΡΕΠΤΗ verti *ancillae domi natae*, qualis dicebatur ἡ θρεπτὴ et οἰκότριψ, Latine *verna*. Vid. viri eruditi ad *Pollucem* lib. VII segm. 17, ad *Hesychium* tom. I p. 1730, et II p. 726, ad *Thomam M.* p. 645, inprimis *Valckenaerius* in animad. ad Ammonium p. 172—174. Impedit articulus τῇ, quo minus *Threpte* pro nomine proprio habeatur in hac inscriptione, uti in alia, quam, post *Donium*, semel iterumque dedit *Muratorius* XXI. 4 et CXLVI. 7, ubi male *Trepthe*. Conf. Cl. *Saxius* in Actis Liter. Societatis Rheno-Traiectinae tom. I p. 53.

Missum est marmor Smyrnâ a viro perillustri *de Hochepied* ad *Franciscum Oudendorpium*, et ab hoc donatum Academiae.

Num

Num. VIII.

Eadem via in Museum Academicum pervenit alter lapis, item Thessalonicae inventus, maioris fragmentum, altum 2 pedes cum pollice, latum pedem unum cum pollice, crassum 8 pollices, hac inscriptione:

. . . .
ΤΙΟϹ ΑΠΟΛΛωΝ
ΙΟΥ. ΤΗΝ ΤΑΦΗΝ
ΚΑΙ ΤΟΝ. ЄΝΑΓΙϹ
ΜΟΝ. Τω ΠΑΤΡΙ
ΑΠΟΛΛωΝΙω Α
ΠΟΛΛωΝΙΟΥ.

Nolebat Apollonii filius, fortasse etiam in primo versu, qui deficit, ipse dictus Apollonius, ut pater sepultura et iustis exsequiarum careret; ut verbis utar *Ciceronis* lib. II de Legibus c. 17. Ταφὴ et *Sepultura* saepenumero ponuntur de loco, ubi mortui conduntur. Ἐναγισμός significat exsequias ac quemcumque parentandi honorem. Eadem similive notione frequentantur ἐνάγισμα et ἐναγίζειν. Vid. *Pollux* III. 102, VIII. 91, 146 cum annotatione *Hemsterhusii*, *Hesychius* v. Ἐναγίζειν, ibi notae p. 1210, et *Ruhnkenius* ad *Timaei* Lex. Platon. p. 101.

Num. IX.

Lapideum ſedentis Aegyptii idoli, vel ſacerdotis calvi nudique, ſignum, ſesquipede altum, Alexandrea advectum. Dono miſſum eſt ab *I. van der Vecht*, Eccleſiaſte Smyrnenſi.

Num. X.

Teſſellati pavimenti fruſtum, coloribus albo, rubro ac nigro; Conſtantinopoli e ruderibus S. Sophiae ab eodem erutum, Academiaeque donatum.

Num. XI.

His hactenus ſcriptis, et iam huic auctarii ſpecimini finem imponere cogitanti, ex improviſo naſcitur mihi occaſio accuratius dicendi de inſcriptione antiqua, ad tempora Septimii Severi et ipſam Patriam noſtram pertinente. Hiſtoria huius lapidis cum ſit memorabilior, mihique optime cognita, cum e ſchedis MSS. *Oudendorpii* et *Cannegieteri*, tum praeſertim e relatu Cl. *Ruhnkenii*, dignam eam iudico, quae narretur. Qua eadem opera rectius intelligetur, quid velit *Cannegieterus*, in diſſert. de Brittenburgo p. 117 ſcribens, *lapidem hunc hodie*, a. 1733, *Lei-*

Leidae conspici insertum parieti cellae alicuius, eo delatum Romburgo. Non ita multis passibus ab hac urbe locus est, diu dictus et adhuc dum *Romanoburgum*, *Romaeburgum*, *Romburgum*, vel etiam *Rodenburg*, habitusque pro Agrippinae praetorio, quod deinde qualecumque Romanorum armamentarium in ripa Rheni, diversumque fuit ab arce Brittenburgica. Isto in loco multa subinde inventa sunt antiquitatis Romanae monumenta, inscriptiones, numi, alia. Conferri debent *Cannegieter* l. c. p. 43, 111, 134, *van Loon* in perveteri Hollandiae historia, tom. I p. 101, 176, 185, 186, et *F. van Mieris* in descriptione Leidae, tom. I p. 5, 6. Monumentis vero, illic detectis, non annumerandam esse epigraphen, qua *Batavi* celebrantur *amici et fratres Romani Imperii*, et quae nunc servatur in Museo Academiae Papenbroekiano, in eiusdem descriptione monuit *Oudendorpius* p. 6. Sitne ea vere antiqua, an seriori potius aevo conficta, dubium facit annotatio Cl. *Saxii* ad orationem in legis Regiae patronos p. 78—83. Romburgi inventum esse lapidem, de quo nunc ago, tenet fama, testaturque *Cannegieterus*, auctorem habens *Sigebertum Haverkamp*, qui iuvenis admodum traditionem istam acceperat a Leidensibus natu pergrandibus. Quod ut aliunde certo cognovi, ita

de ipſo tempore, quo lapis Romburgo Leidam delatus ſit, nihil habeo compertum. Satis autem conſtat inter omnes, diu latuiſſe inſertum parieti in cella ſubterranea domus privatae, ad plateam huius urbis latam, dictam nobis *de Breedſtraat*, eiusque partem auſtralem prope angiportum, cui nomen *de Dieſſteeg*. Accurate ſic domum indicarat *Mieriſius*, in literis ad *Cannegieterum*. Eſſe hanc non diverſam a domo, in qua *Scaliger* habitavit, ſuſpicabatur poſterior, ſed minus recte, ſi eſt vera traditio pervetuſta. Quam diu in iſta cella obſcurius latebat lapis antiquus, ac lumina admoveri debebant, ut recognoſceretur epigramma, mirum minime erat, de vera lectione aliter atque aliter iudicaſſe viros eruditos. Ex obſcuro loco tandem in lucem protractus eſt lapis, et a *Leonardo de Mayne*, viro perquam honeſto, earumque aedium domino, a. 1755 Academiae donatus. Patebat eo tempore, lapidem in varia fruſta, ſed optime coagmentata laminisque ferreis a poſteriori ſui parte hic illic conſtricta, iam ante diffracta eſſe, quam parieti cellae insereretur. Circa idem tempus, pereximium hoc antiquitatis Romanae Batavaeque monumentum inferebatur in Muſeum, in quo legatum Papenbroekii aſſervatur. Saepius ſaepiusque lapidem tanti pretii eo in loco quaeſivi, ſed fruſtra ſemper; nec

ego

ego ſolus, verum una mecum Cl. *Ruhnkenius.* Proximis diebus res omnis et origo fortunae durioris, qua a multo iam tempore conflictatus eſt lapis literatus, a teſte oculato, *Nicolao Meerburg*, mihi indicabatur. Mandatu Curatorum, et ſumma cum cura, locus huic lapidi datus erat in Muſeo Papenbroekiano. Displicebat id, qua demum cumque de cauſſa, alicui rerum aliarum intelligentiſſimo, non item antiquitatis amanti, cuius tamen parcam nomini, ne ſubeat notam turpitudinis. Protinus ſede ſua propria et honorifica, eo iubente, movebatur lapis, fruſtaque eius, ſi non omnia, at certe maiora, abiiciebantur in locum ſordidum ſqualidumque et a conſpectu hominum procul remotum, in quo latuit paene incognitus ad diem usque 23 novembris a. 1801, quo ipſe lapidis memorabilis fruſta, in cavea arenoſa tam diu diſſecta, quotquot reperiri poſſent, erant autem numero viginti, ſedulo colligi protrahique in lucem curavi, ac ſuo quaeque ordine diſpoſui, ea ſpe certa, fore, ut eius in poſterum maior habeatur cura. Sed haec ſatis ſuperque de hiſtoria lapidis, cuius deſcriptionem et explicationem a me quidem adjungi, aegre non ferent ſtudii antiquitatis aeſtimatores.

Eſt lapis cinerei coloris, longus 7 pedes Rhenolandicos cum 2 pollicibus ſive unciis, altus

unum pedem et 9 uncias cum dimidia, craſſus 3 uncias, e materia fragili et cretacea, ut ſunt plerique lapides antiqui, in Patria noſtra inventi. Intelligendum vero eſt iſtud *cretae* genus, quod Britanni et Galli, teſte *Plinio*, *margam* appellabant. Conf. *Cannegieter* l. c. p. 15. Tres ſunt inſcriptionis verſus, habentque intervallum duarum unciarum cum dimidia. Singulae literae pulcerrimae trium circiter unciarum magnitudinem exaequant. Inter ſecundum ac tertium verſum otioſus quis et ineptus nugator minoribus literis atque rudiori ſcalpro incidit iterum ANTONINI nomen, quod ſententiam verborum prorſus turbat, atque adeo negligendum puto. Eodem loco poſt *Antonini* nomen nugator iſte addidit ANCRVM, vel ſimile quid, ſenſu certe nullo. Finis ſingulorum verſuum, certe duorum priorum, truncatus aliquot literis videtur. In verſu autem ſecundo, literas quasdam conſulto eſſe eraſas, dubio caret.

In viginti huius lapidis fruſtis, iam nunc inventis, haec inſcriptio legitur:

IMPP. CAESS. L. SEPTIMIVS SEVERVS. PIVS PERT...
M. AVRELLIVS ANTONINVS AVGG. :::::::::....
NVMERO EXPL. BAT. CVR. COC V ENIDIO RVF...

In nullo inſcriptionum antiquarum corpore ſive theſauro, quantum reſciſcere potui, haec ipſa epigraphe edita eſt. Vulgavit tamen eam

Hen-

Henricus Cannegieter, vir in hoc studiorum genere summus, l. c. p. 117, sed neque satis accurate, neque ex inspecto ipso lapide, verum uti eam acceperat, venustissima *Franscisci van Mieris* manu depictam; depictam nempe in cella ista obscuriori, de qua superius dicebam. Promittebat quidem *Cannegieterus*, loco opportuniori se eamdem ad examen revocaturum; vehementer tamen dubito, steteritne promissis, vel etiam per labores alios stare potuerit. Non certe factum id est, quantum recordor, aut in libris post annum 1734 ab ipso editis, aut in egregiis illis commentariis ad Monumenta Antiqua Domburgensia, quos benivolentia Cl. *Hermanni Cannegieter*, quemmodum tabulas eorumdem Monumentorum aeneas munificentia Amplissimi Dynastae Domburgi, cum maxime asservo. Est igitur spes minime levis, futurum, ut, ex voto cum aliorum, tum Cl. *Saxii* in Actis Lit. Soc. Traiect. tom. II p. 228, Monumenta Domburgensia, eleganter depicta ac docte illustrata, tandem aliquando scriniis exeant, et in conspectum hominum eruditorum prodeant. Progrediar iam ad lapidis Leidensis explicationem.

De *Imperatoribus Caesaribus Lucio Septimio Severo Pertinace et Marco Aurelio Antonino* (Caracallo), non est, ut quidquam dicatur.

Du-

Duplex LL, in nomine *Aurelii*, neminem morabitur, nisi hospitem in marmoribus literatis. Erant ambo *Augusti*. Edidit *Cannegieter* l. c. AVG. Legendum est sine dubio AVGG. Lacunae inter hanc vocem et proximam NVMERO sic supplenda: ET P., vel L., quod praebent pauci lapides ac numi, SEPT. GETA CAESAR. Post interfectum fratrem Getam, voluisse Caracallum abolere ipsius memoriam, atque iussisse, ut eiusdem nomen in monumentis deleretur, negari haud oportuerat. Non repetam, quae, adversus *Fontaninum*, docte disputavit *Reimarus* in notis ad *Dionis Cassii* lib. LXVII c. 12, de Caracallo scribentis, τοῖς τὰς εἰκόνας αὐτοῦ (Getae) βαστάσασι λίθοις ὠργίζετο, καὶ τὸ νόμισμα τὸ προφέρον αὐτὸν συνεχώνευσε. Quemadmodum in hoc lapide nomen Getae erasum est, ita in plurimis aliis apud *Gruterum* XXXII. 10, XXXIX. 3, XLVI. 9, *Gudium* XLVII, 6, XCII. 5, *Maffeium* in Mus. Vindobon. CCXV. 7, CCCIX. 1, *Muratorium* CCCXLVII. 2, CCCXLIX. 2, *R. Pococke* Inscript. antiq. p. 119 n. 31, *G. L. Castellum* in nova collectione Inscript. Siciliae p. 31, ubi consulatur annotatio. In omnibus tamen lapidibus vetustis nomen Getae non erasum esse, neque numos omnes, ipsius imagine ornatos, periisse, cum aliunde novimus, tum e *Guilielmi Musgrave* dissertatione de

Ge-

Geta Britannico p. 26 — 101. Sed difficultatem maiorem videtur habere inscriptionis versus ultimus. Pro c o n dedit *Cannegieterus* l. c. coo. Non audeo assentiri eiusdem coniecturae, in schedis MSS. memoratae, expedita omnia in lapide fore, si c o r, id est, *Cornelio*, aut simile nomen recipimus, opinamurque id nomen fuisse Venidii Rufi, cum in altero lapide multis nominibus dicatur, et forte pluribus in monumentis aliis, quae desideramus, neque nominum unius hominis coacervatio abhorreat a seculo Antoninorum. Postremum verissimum est, ut exemplis variis approbavit vir Cl. in libro de mutata Rom. nominum ratione cap. VII. Coniecturae autem isti ductus literarum prorsus repugnat. Ex schedulis MSS. *Oudendorpianis* intellexi, dubium diu eum haesisse, quo modo reliqua verba integra legenda essent et interpretanda. Suspicabatur E X P L. poni pro *Expleto*, comparabatque verba *Ciceronis* lib. V. in Verrem c. 34, *sperabat, iis militibus, quos ex eo loco deduxisset*, explere *se* numerum *nautarum et remigum posse.* Intelligens autem, tum scribi oportuisse N V M E R O B A T. E X P., malebat deinde explicare verba: *Numero Exploratorum Batavorum*; quod unice verum videtur. Nec displicet idem *Cannegietero*, in annotatione MS., sed qui suspicatur, ante vocem *Numero* excidisse

disse praepositionem, in ejusmodi lapidibus adiici solitam, periisse item in versu tertio nomen Cohortis. Addit, *Mierisium*, qui imaginem lapidis a se descriptam quondam transmisisset, visum esse sibi vestigia vocis ITO deprehendere, ubi nomen Getae erasum monui, sed ITO frustra quaesivi in ipso lapide. NVMERO sumendum opiner pro *in usum Numeri* istius, in cuius commoda structum erat aedificium. Saepe autem usurpatur *Numerus* de ordinibus quibuscumque militaribus, seu maioribus, seu minoribus, legione, cohorte, turma. Satis exemplorum e scriptoribus dabit *Forcellinus*, v. *Numerus*. Neque desunt in lapidibus literatis apud *Reinesium*, *Cl.* VIII. n. 4. cum not., 58, 82. *Gudium* CCXLVIII. 4, *Donium* Tab. XI. p. 289. n. 11, *Muratorium* DCCXCVIII. 2, alibi; sed in iis non raro exprimitur una litera N, quod non semper animadversum est. Quae sequuntur voces, per compendium scriptae, EXPL. BAT., explicandae videntur, *Exploratorum Batavorum*. Vocem Latinam deinde Graeca civitate donatam esse, apparet e *Procopii* Hist. Arc. c. 30. Conf. *Suidas* v. Ἐξπλωράτωρ, tom. I. pag. 779, et inscriptio apud *Gruterum* CDLVIII. 1. Non intelligendi hic sunt *Exploratores*, dicti quoque *Speculatores*, quales memorantur a *Caesare*, *Cicerone*, aliis, sed limitanei milites,

in

In provinciae Galliae et Imperii Romani limite Rheno collocati, lectique ex amicis et sociis Batavis, vel ad observandos viatores, horumque merces excutiendas, vel ad vectigalia exigenda, vel etiam ad consilia barbarorum exploranda. Cuiusmodi *Exploratorum* crebra est mentio in Notitia utriusque Imperii, pag. 104, 105, 136, 176, edit. 1608, sive Tom. VII Thesauri Antiqq. Graeviani p. 1752, 1858, 1939, 1994. Quae illic in commentario *Pancirolus* monuit de Exploratoribus, huc minus pertinent, neque etiam disputata a *Reinesio* in Syntagm. Insc. ant pag. 509; cum referri ea debeant ad aliud Exploratorum seu Speculatorum genus, de quo est sermo in lapidibus aliis, apud *Reinesium* VIII. 64, *Gruterum* CLXIX. 7, *Gudium* II. 8, CXLVIII. 5, *Donium* p. 222. n. 3, pag. 223. n. 7, et *Muratorium* saepius. Magis huc facit inscriptio, in qua memorantur *Dupliarii Numeri Exploratorum Bremeniensium.* Edidit eam, nec tamen primus, *Muratorius* CXI. 1, et minus accurate explicuit. Bremenium erat *limes*, et ad vallum, quo Britanni a Caledoniis distinguebantur. Illic erant *castra Exploratorum.* Conf. *Antonini* Itiner. p. 464, 465, 467, cum annotatione Cl. *Wesselingii*, atque Cl. *Saxius* in Act. Lit. Soc. Traiect. tom. II p. 286. Eo igitur in loco necessarius erat usus Exploratorum ta-

talium, quales indicari dicebam in lapide Leidensi, ad quem revertor. Exploratorum ad ripam Rheni Numerum commemorari, nemo mirabitur, secum recolens, quanto terrori Romanis ducibus fuerit Rhenus, receptator hostium dictus a *Floro* lib. III c. 10, 9; quanta cura Romani munierint Rheni limitem, teste *Floro* lib. IV c. 12, 26; quanta sollicitudine Tiberius, traiecturus Rhenum, commeatum omnem non ante transmiserit, quam consistens apud ripam explorasset vehiculorum onera; ut in eius vita testatur *Suetonius* cap. 18. Mirum multo minus est, Exploratores istos fuisse Batavos, de quibus *Tacitus* scribit de M. G. c. 29, *Omnium harum* (Germanicarum) *gentium virtute praecipui Batavi, non multum ex ripa, sed insulam Rheni amnis colunt.* Sed haec sufficiant de Numero Exploratorum Batavorum. Restat, ut de verbis postremis dicatur, CVR. CΘO \ENIDIO RVF. Quod edidit Cl. *Cannegieter*, ducem secutus *Mierisium*, COO, vitiosum esse, monui supra. Desideratur nunc pars lapidis, cui insculpta quondam erat litera integra post CΘ, quae vix dubito quin fuerit Q. Nec facile quispiam negabit, \ esse partem literae V. Etenim notus aliunde est *Q. Venidius Rufus*, etiam e marmoribus literatis apud *Gruterum* LXXIX. 2, *Sponium* pag. 270, 271, *Muratorium* MMIX.

1, 2,

1, 2, inprimis apud *Gudium* LXIX. 1, 2, cuius annotatio haud negligenda eſt. Apparet ex iſtis inſcriptionibus, *Venidium Rufum* ad ſummos tandem eſcendiſſe honores, poſtquam in Batavorum regione eſſet commoratus, ſi in iſtis inſcriptionibus omnibus de uno eodemque *Venidio* ſit ſermo; quod vix credibile eſt. Qua eadem de cauſſa neque affirmare auſim, eiusdem fieri mentionem *L. 2 D. de iure immunitatis*, in qua *Benidius Rufus*, *Legatus Ciliciae*, commemoratur. Sine controverſia huc facit lapis, anno 1552 in arce Brittenburgo inventus, ſaepenumero vulgatus, etiam a *Grutero* CLXIX. 2, non tamen intellectus, aut ab ipſo, aut a *Scaligero*, *Scriverio*, *Iunio*, eorumque ſimilibus viris ſummis, non diffitentibus, ignorare ſe, quid ſit ENIDIORV. Verum tamen vidit *Cannegieter* de Brittenburgo p. 117; quem recte ſecutus eſt *van Loon* in perveteri *Hollandiae* hiſtoria, tom. I p. 187, 188, ſed multa de ſuo addens inſcriptioni, ab utraque parte truncatae, quae ſunt valde incerta. Vix autem dubium eſt, quin loquatur lapis iſte et noſter de VENIDIO RVFO. Denique, in lapide Leidenſi CVR. CΘ explicandum videtur *Curatore Cohortis*, ut eſt *Curator cohortis VI Val.* et *Curator cohortium vigilum Gordianorum*, in lapidibus *Gudianis* LXVI. 7, XCVI. 8,

 aliis.

aliisque. Nemo non intelliget Cohortem Exploratorum Batavorum. Non admodum mihi placet sententia *Oudendorpii* in annotatione MS., postrema lapidis verba exponentis ac supplentis: *Curante Cohortem Q. Venidio Rufo Praefecto*, monentisque, *Tacitum* quoque dixisse *curare legiones*, lib. VI Ann. c. 30. Multo minus arridet eius coniectura, *Cohortem* hic poni pro ipso *aedificio*, vel pro *statione* et *mansione* istorum Exploratorum. Novi, *Cohortem* proprie significare spatium quavis maceria inclusum sive septum, quo continentur et coërcentur pecora in villis, immo antiquitus nomine Cohortis dictam esse villam. Vid. *Schoettgenius* ad *Varronis* lib. I de R. R. c. 14, *Salmasius* in Exerc. Plinian. tom. I p. 219, et *Forcellinus* in vv. *Chors*, et *Cohors*. Sed vix inducor, ut credam, vel *Cohortem* in libris veterum scriptorum et marmoribus literatis unquam poni de statione seu mansione militum, vel in lapidibus legi *Curante cohortem* pro *Curatore cohortis*. Exstat quidem *Curante* in inscriptione Alonensi apud Cl. *Wesselingium* in not. ad *Antonini* Itin. p. 481, etiam in lapide, itidem Romburgi invento; cuius fragmentum servatur in antiqua Gentis Wassenaeriae villa Duvenvoordia, editumque est, cum a multis aliis, tum a *Scriverio* in Tabulario Ant. Bat. p. 182, *Altingio* in notitia Germ. infer. v. *Armamen*-

tarium , *I. Gronovio* in allocutione ad Baronem de Waffenaer, et *van Loon*, l. c. p. 185. Sed in altero lapide fit mentio de *Curante aedem*, in altero de *Curante restitutionem armamentarii vetustate collapsi*, in neutro de *Curante cohortem*. In fine epigrammatis periisse vocem PRAEF*ecto*, est coniectura *Oudendorpii*, sed ea plane incerta. CO compendio scribendi positum esse pro CO*hortis*, vix quispiam dubitabit, suum advertens animum et ad alterum lapidem Romburgensem, de quo dixi, et ad ea, quae de antiqua literae H forma monuere Grammatici, praesertim *Vossius* lib. I de Arte Grammat. c. 29, et ad alia scribendi compendia non dissimilia apud *Fabrettum* p. 196, in Marmoribus *Felsineis* p. 425, alibi. Verbosiori in explicando hoc lapide, veniam mihi ab antiquitatis studiosis haud denegatum iri, spero et confido.

C.

SERIES CVRATORVM ACADEMIAE LVGDVNO BATAVAE, SECVLO XVIII.

I. IACOBVS BARO DE WASSENAER, S. R. I. Comes, Dynasta in *Wassenaer*, *Obdam*, *Hensbroek*, *Wochmeer*, *Twikloo*, *Lage*, cet., Equestri in *Hollandia* Nobilium Ordini adscriptus, Ordinis Equestris Elephantini in *Dania* socius, Batavorum equestris militiae Praefectus, *Sylvae Ducis* locorumque aliorum Gubernator, ad Galliarum, Britanniae, Poloniarum, Borussiaeque Reges, Electorem Hannoveranum, et alios Germaniae Principes Legatus extraordinarius. De variis eius legationibus et virtute bellica legendus *Wagenaar*, in Hist. Patr. tom. XIII. 424, XV. 303, XVI. 109, XVII. 165, 183 — 190. Renunciatus est Curator d. 23 martii 1690, mortuus d. 28 maii 1714.

II.

II. HVBERTVS ROSENBOOM, IC., Toparcha in *'s Grevelsrecht*, supremae Batavorum Curiae Senator et Praeses. Electus est d. 13 ian. 1694. Obiit d. 4 oct. 1722.

III. HENRICVS VAN BLEISWYK, IC., vir Consularis in urbe *Delphensi*, Societatis Indicae Orientalis assessor. Constitutus est d. 4 dec. 1697. Obiit d. 20 aug. 1703.

IV. HERMANNVS VAN DEN HONERT, IC., vir Consularis *Dordracenus*, aggerum Alblasserwaardensium Comes. Renunciatus est d. 20 sept. 1703, mortuus anno 1730.

V. GVILIELMVS, Baro DE WASSENAER, Toparcha in *Starrenburg*, Equestris Nobilium *Hollandiae* Ordinis primus, Praeses Delegatorum Ordinum *Hollandiae*. Electus est d. 19 oct. 1714. Obiit d. 6 aug. 1723.

VI. CORNELIVS VAN VALKENBURGH, IC., Senator, Consul ac Praetor *Harlemensis*, Praefecturae Rhenolandicae assessor. Electus est d. 20 nov. 1722, mortuus anno 1728.

VII. ALBRECHT NICOLAVS Baro DE SCHAGEN, Toparcha in *Goudriaan*, in Equestrem

Hollandiae Ordinem relatus, Iudicibus rei venaticae et Praefecturae Rhenolandicae assessoribus adscriptus, Societatis Indicae Orientalis in *Westfrisia* moderator. Renunciatus d. 1 sept. 1723, obiit d. 23 apr. 1727.

VIII. IOHANNES HENRICVS Comes DE WASSENAER, Dynasta *Wassenaeriae*, *Obdami*, *Henstroekae*, *Spierdyki*, *Zuidwyki*, *Kernhemi*, *Lagae*, Eques Ordinis Iohannitici, Equestris *Hollandiae* Ordinis sodalis, in consessu Delegatorum *Hollandiae* Ordinum Praeses. Electus d. 17 iulii 1727, mortuus d. 5 febr. 1745.

IX. IOHANNES TRIP, IC., Toparcha *Berkenrodae*, vir Consularis *Amstelodamensis*. Electus mense iulio 1728, obiit anno 1732.

X. ARENT BRUYNSZ VAN DER DUSSEN, IC., Consularis *Delphensis*, Societatis Indicae Orientalis moderator. Renunciatus est anno 1730, mortuus mense iunio 1742.

XI. CORNELIVS SYLVIUS, IC., Consularis *Harlemensis*, territorii Brederodiani Praetor, sylvis mareique venaticae praefectus. Electus mense martio 1733, mortuus anno 1738.

XII.

XII. IOHANNES VAN DE POLL, IC., Consularis *Amstelodamensis.* Constitutus d. 18 iulii 1738, obiit d. 15 oct. 1745.

XIII. PAVLVS SBEASTIANVS LE LEU DE WILHEM, IC., Toparcha in *Besoyen*, Consularis *Rotterodamensis*, aggerum Schielandiae Praefectus et Praetor. Electus d. 6 iulii 1742, obiit a. 1759.

XiV. GVILIELMVS Comes DE BENTINCK, *Rhonae* et *Pendrechtae* Dominus, Equestri *Hollandorum* Ordini adscriptus, Delegatorum *Hollandiae* Ordinum Praeses, magni sigilli Custos, supremae Curiae feudalis Praeses, aggeribus et viis Rhenolandiae curandis Septemvir. Missus est a. 1747 Orator ad Regem Britanniarum, et brevi post Aquisgranum, cum pax redderetur Europae. Conf. *Wagenaar*, Vaderl. Hist. XX d. bl. 174, 179, *I. A. de Chalmot*, Biographisch Woordenboek der Nederlanden II d. bl. 302—304. Renunciatus est d. 13 febr. 1745, mortuus anno 1774. Maxima eius in rem Academicam fuisse merita, sciunt omnes. Conf. *Ruhnkenii* Elogium T. H. p. 72, 73.

XV. CORNELIVS DE WITT, IC., *Iaarsveldiae* Toparcha, civitatis *Dordracenae* Senator et Consul. Electus d. 19 nov. 1745, obiit anno 1769.

XVI. PETRVS STEYN, I.C., Ordinum *Hollandiae Westfrisiaeque* Consiliarius et Syndicus supremus, magni sigilli Custos, supremae Curiae feudalis Praeses, eiusque tabularii Praefectus, aggeribus viisque Rhenolandiae curandis Septemvir. Renunciatus est anno 1759, mortuus d. 5 nov. 1772.

XVII. PETRVS VAN BLEISWYK, L. A. M., Philosophiae et Iuris utriusque Doctor, Ordinum *Hollandiae Westfrisiaeque* Consiliarius et Syndicus supremus, magni sigilli Custos, supremae Curiae feudalis Praeses eiusdemque tabularii Praefectus. Electus est anno 1769, quo tempore erat civitatis *Delphensis* Consiliarius ac Syndicus. Obiit d. 29 oct. 1790. Vid. *I. A. de Chalmot* l. c. III d. bl. 140—147.

XVIII. IOHANNES HOP, IC., Quaestor aerarii Foederatae Belgicae. Munus Curatoris in eum collatum est anno 1773; sed *illustrem virum atque egregium literatorum hominum Maecenatem Leidanae Palladi fatalis dies, ne Senatus quidem nomine salutatum, Curatorem male praeripuit:* ut legitur in Actis Senatus, cui tunc a secretis erat Cl. *Valckenaer*, d. 2 apr. 1773. Fuisse eum insigne Reip. Batavae ornamentum, et literarum Graecarum valde aman-

tem,

tem, monet Cl. *Luzac*, in praefat. ad *Valckenaerii* Callimachea p. 13, 14. Conf. etiam praefatio Cl. *Tydemanni* ad syntagma dissertationum, ad Philosophiam moralem pertinentium. Obiit eodem anno 1773.

XIX. GVILIELMVS HUYGHENS, IC., Toparcha in *Honcoop*, Senator et Consul *Amstelodamensis*, Societatis Indiarum OO. moderator. Creatus est Curator mense martio 1773, et mortuus d. 7 iulii 1786.

XX. IACOBVS PHILIPPVS Baro DE BOETZELAER, Toparcha in *Nieuveen*, rel., Ordinis Equestris Nobilium *Hollandiae* assessor primus, Delegatorum *Hollandiae* Ordinum Praeses. Electus mense nov. 1774, obiit d. 26 apr. 1781.

XXI. WIGBOLDVS IANVS THEODORVS Baro VAN DER DOES, Dynasta utriusque *Nordvici*, *Langeveld* et *Offen*, Equestri *Hollandiae* Ordini adscriptus, Delegatorum *Hollandiae* Ordinum principem locum tenens, rei venaticae in eadem regione Praefectus, aggeribus viisque Rhenolandiae curandis Septemvir, urbis agrique *Heusdani* Castellanus, Satrapa et Chomarchus. Constitutus est d. 29 iunii 1781, obiit anno 1787.

XXII. GVILIELMVS ANNE L'ESTEVENON, Dynasta *Hazerswoudiae*, Senator *Harlemensis*, Ordinum Foederati Belgii nomine ob negotia publica Bruxellas delegatus. Renunciatus est d. 8 aug. 1786, iterumque a Delegatis Populi Hollandici d. 9 febr. 1795. Quo munere deinceps ad breve tempus fungi potuit.

XXIII. GVILIELMVS LVDOVICVS Comes DE WASSENAER, Dynasta *Starrenburgi*, Ordini Equestri Nobilium *Hollandiae* adscriptus, eiusdemque nomine in consessu Delegatorum Ordinum tenens locum primum, aggeribus et viis Rhenolandiae curandis praefectus, Satrapa *Dalemi*, ab Ordinibus septemplicis civitatis Belgigicae missus Legatus extraordinarius ad Augustam Russorum Imperatricem. Electus est anno 1787, missus a Delegatis Populi Hollandici d. 7 febr. 1795.

XXIV. PETRVS HENRICVS VAN DE WALL, IC., urbis *Dordracenae* Senator et Consul, consessui Delegatorum *Hollandiae* Ordinum adscriptus, patrimonii publici, quod ex tractu *Hollandiae Meridionalis* et agro *Heusdano* redit, Quaestor summus. Dictus est Curator anno 1790, dimissus a Delegatis Populi Hollandici d. 7. febr. 1795. De meritis eius in rempublicam lite-

literariam legendus Cl. *Voltelen* in orat. de Magnetismo animali p. 44, 45, testaturque inprimis Tabularium urbis Dordracenae (Handvesten en Privilegien van Dordrecht), erudite illustratum.

XVV. PETRVS PAULUS, IC., Delegatorum Populi Batavi Praeses. Electus est d. 9 febr. 1795. Obiit d. 17 martii 1796. Meritorum ipsius in Historiam Patriam testis prae ceteris libris, quos edidit, est commentarius luculentus in tabulas Traiectini foederis, vulgo Unionis.

XXVI. IACOBVS GEORGIVS HIERONYMVS HAHN, IC., Delegatis Populi Batavi adscriptus. Die 9 febr. 1795 renunciatus est, sed d. 16 nov. 1798 munere Curatoris se abdicavit.

XXVII. LAVRENTIVS VAN SANTEN, IC., anno 1795 Curatoribus adiunctus a Magistratibus Municipalibus Leidensibus. Obiit anno 1798. Criticis et Poëtis Latinis praestantioribus suo merito annumeratus est. Affectum reliquit *Terentianum Maurum*, copiosis observationibus suis illustratum. Plura dabit *I. H. Hoeufft* in praefat. ad *Santenii* poëmata, edita a. 1801.

XXVIII. PETRVS VAN LELYVELD, *Petri Filius*, A. L. M. Philosophiae et Iuris utriusque Doctor, a. 1795 Curatoribus adscriptus a Magistratibus Municipii Leidensis; sed ab iisdem a. 1797 hoc munere liberatus; denuo electus est anno 1798. Cum maxime relatus est in eorum ordinem, qui publicas res curant in tractu Texelensi.

XXIX. FREDERICVS VAN LEYDEN, A. L. M. Philosophiae et utriusque Iuris Doctor, Toparcha *Westbarendrechti*, Senator eo tempore Reipublicae Batavae. Electus est d. 30 martii 1796; sed provinciam Curatoris d. 16 nov. 1798 ultro deposuit.

XXX. PETRVS LEONARDVS VAN DE KASTEELE, IC., quondam civitatis *Harlemensis* Consiliarius et Syndicus, Senator Reipublicae Batavae. Electus est d. 14 sept. 1797.

XXXI. HERMANNVS ADRIANVS BAKE, Med. Doct., Magistratuum Municipalium Leidensium socius, eorumque nomine adscriptus Curatoribus anno 1798.

XXXII. HIERONYMVS DE BOSCH. Electus est d. 4 dec. 1798.

XXXIII.

XXXIII. IOANNES DE KRUYFF, IC., Magistratus Municipalis Leidensis, cum maxime relatus in eorum ordinem, quibus cura rerum internarum Patriae demandata est. Dictus est Curator d. 4 dec. 1798. Qui quidem, una cum viris Amplissimis, Kasteelio, Bakio, de Bosch et Lelyveldio, res Academiae hoc ipso tempore curat ac gubernat.

NOMINA EORVM,

QVI, SECVLO XVIII, CVRATORIBVS, A SECRETIS FVERE.

I. IOHANNES VAN DEN BERGH, ICtus, ab a. 1690 ad a. 1711. Fuit urbis Leidae Senator, Iudex, vicies Consul, Rhenolandiae Praetor aggerumque Comes, de Republica Batava rebus domi forisque praeclare gestis egregium in modum meritus. Vid. *van Mieris*, beschrijv. van Leijden I deel, bl. 61, *Wagenaar*, Vad. Hist. XVII d. bl. 436, XVIII d. bl. 46, 74.

II. PETRVS GYS, IC., ab a. 1711 ad. 1725, quo se hoc munere abdicavit.

III. DAVID VAN ROYEN, IC., ab a. 1725 ad a. 1753, quo hanc provinciam depoſuit, ſucceſſorem nactus filium natu maximum, qui ſequitur.

IV. IANVS VAN ROYEN, IC., civitatis Leidenſis Conſiliarius et Syndicus. Curatoribus fuit a ſecretis ab a. 1753 ad initium a. 1783, quo diem obiit ſupremum.

V. IOSIAS IOHANNES HUBRECHT, IC., ab a. 1780 ad a. 1795, quando hoc munere ſe ultro abdicavit. Ad annum usque 1795 fuit Conſulibus Leidenſibus a ſecretis.

VI. IACOBVS DE FREMERY, qui a. 1795 hoc munere auctus eſt, eodemque adhuc dum perfungitur.

I SE-

D.

SERIES PROFESSORVM IN ACADEMIA LVGDVNO BATAVA,

SECVLO XVIII.

Anno seculi XVIII primo literas et disciplinas hic docebant

I. FRIDERICVS SPANHEMIVS, *Frid. Fil.*, Theologus, ab a. 1670, sed a d. 28 aug. 1684 praelectionibus publice habendis exemtus, dictusque Professor Primarius. Obiit d. 18 maii 1701. Parentavit ei d. 6 iunii *Iacobus Triglandius*, cuius oratio operibus *Spanhemii* praemissa est, et denuo repetita in *Sylloga* dissertationum Triglandiana, pag. 143—170. In Programmate, quo indicitur concio ista funebris, vocatur *magni parentis maximus filius*, *Consiliarius Ecclesiarum Palatinarum*, *Vir laboribus utilissimis per dimidium fere seculum*, *tum Heidelbergae in Palatinatu*, *tum Lugduni in Batavis iam ultra*

tra 30 *annos*, *exactis*, *et scriptis incomparabili eruditione omnium admirationem meritis*, *vere illustris; et*, *quod mireris*, *anno aetatis* 70, *quo labente exstinctus est*, *nulla adhuc ingenii aut doctrinae detrimenta passus.* Conf. *Saxii*, V. C. Onom. Liter. part. V p. 211, 618.

II. IACOBVS TRIGLAND, *Iac. F.*, *Iac. Nepos*, Theologus, ab a. 1686. Provinciam docendae Antiquitatis Hebraicae auspicatus est d. 23 ianuarii 1702, habita oratione *de origine et caussis rituum Mosaicorum;* quae est adiecta ipsius dissertationibus p. 109—142. Post mortem, quae accidit d. 22 septembris 1705, publice laudatus est a *Iohanne Marckio*, cuius oratio subnexa est dissertationibus *Triglandianis* p. 209—299, item a *Broukhusio*, *Hesselio* et *Snakenburgio*, quorum carmina lugubria illic leguntur. Dicitur in Programmate funebri *literarum et artium splendidissimum iubar*, *virtutis et pietatis illustre admodum et praeclarum inter paucos exemplum;* atque a Cl. *Saxio*, l. c. p. 342, 343, *Theologus literatissimus.*

III. IOHANNES À MARCK, Theologus, ab a. 1689. In locum *Spanhemii* sublectus Professor Historiae Ecclesiasticae, dixit d. 9 ianuarii 1702 *de*

de Christianismi propagati admirandis. Anno 1712 Rector Academiae Magnificus creatus est, quem honorem posuit habita oratione *de ardente rubo in historia Mosaica.* E vita excessit d. 30 ian. 1731, eique d. 15 febr. parentavit *I. Wesselius*, cuius dissertationibus Academicis accessit haec oratio funebris, p. 697—732. Ex isto fonte pleraque sua, in scribenda vita *Marckii*, hausere *Pfaffius*, in praefatione ad *Marckii* comment. in Prophetas minores, *Vriemoet*, in Athenis Frisiacis p. 544—556, coll. add. p. 11, 12, et *Paquot*, Mémoires pour servir à l'histoire litteraire des XVII Provinces des Pays-bas, tom. II p. 339—350. Quos iterum duces secuti sunt alii plures.

IV. HERMANNVS WITS, Theologus, ab a. 1698. Vivere desiit d. 22 octob. 1708; et, paucis post diebus, memoriam ipsius celebravit *I. Marckius*, quae oratio recusa est ad finem Exercitationum *Marckii* scripturariarum ad 25 loca N. T. p. 709—735. Dicitur in Programmate funebri *Vir incomparabili eruditione, sincera pietate, vera virtute, candore animi, morum suavitate, meritis in Religionem, Patriam et Academiam, scriptisque vere illustris, qui summam sui admirationem eruditis, Academiae moerorem, cunctis bonis reliquit desiderium.*

Vitam *Witsii* scripserunt *C. Burmannus*, in Traiecto erudito p. 451—457, *Vriemoet*, l. c. p. 524—541, *Paquot*, l. c. p. 327—339. Conf. *Saxius*, V. C., l. c. p. 80, et Narratio mea p. 21, 22. Quos *Witsius* ipse de sua vita scripsit commentarios, dono mihi dedit Rev. *Stratenus*, *Witsii* ex filia nepos.

V. ANTONIVS MATTHAEUS, *Ant. F.*, *Ant. Nepos*, ICtus, ab anno 1673. Supremum diem eum obiisset d. 25 aug. 1710, concione funebri d. 12 sept. eum laudavit *I. Voet*. Vitam scripsere *C. Burmannus*, l. c. p. 218—228, et alii, quos indicavit Cl. *Saxius*, l. c. p. 75, 76. Conf. Narratio mea p. 25.

VI. IOHANNES VOET, ICtus, ab a. 1680. Supremo Academiae magistratu, quem a. 1709 gesserat, abiens, veritatem asserti a D. Pio monstravit, *raros esse, qui philosophantur*. Mortuus est d. 11 sept. 1713. Vita eius scripta est a *C. Burmanno*, l. c. p. 426, 427, et aliis, de quibus *Saxius*, l. c. p. 186. Conf. Narratio mea p. 25.

VII. PHILIPPVS REINHARDVS VITRIARIVS, ICtus, ab a. 1682. Anno 1702, iterum a. 1713, Rectoris munere perfunctus est. Obiit

d. 30

d. 30 iulii 1720, non 1717, ut, errore typographico, legitur in *Saxii*, V. C., Onom. Lit. part. V p. 647.

VIII. GERARDUS NOODT, ICtus, ab a. 1686, antea Franequeranus ac Traiectinus. Academiae Rector fuit a. 1705, eamque dignitatem posuit habita oratione *de Religione ab imperio, iure gentium, libera;* quae Gallice, Anglice, Belgice et Germanice versa deinde prodiit. Etsi ei, mortuo d. 15 aug. 1725, non parentatum est, laudatores tamen minime defuere praestantiores, *Barbeyracius* in descriptione vitae *Noodtii*, quae legitur in Recueil de Discours sur diverses matieres importantes, estque etiam praefixa operum ipsius omnium editioni novae a. 1735, *C. Burmannus*, in Trai. erud. p. 249—253, *Vriemoet*, l. c. p. 587—596, *Paquot*, l. c. tom. I p. 181—192, *Arntzenius*, ut monui in Narratione p. 26, et alii, monente *Saxio*, V. C., Onom. part. V p. 220, 221. Quamvis in *Bynkershoekii* curis secundis de iure occidendi et exponendi liberos apud veteres Romanos, quas edidit a. 1723, multa acerbius in *Noodtium* dicantur, ex reliquis tamen viri Amplissimi operibus omnibus abunde apparet, quo numero eumdem habuerit.

IX. GODOFREDUS BIDLOO, ab a. 1694 Professor Anatomiae, e vita discessit d. 20 apr. 1713. Legendus est *Sandifort*, V. C., Introduct. in Museum Anatom. Academiae L. B. p. XII, XIII, et *I. A. de Chalmot*, tom. III Diction. Biograph. p. 78 — 81.

X. FREDERICUS DEKKERS, Medicus, ab a. 1694. Munere Rectoris se abdicavit die 8 febr. 1701. Argumentum orationis, ut saepe fit, in Actis Senatus Academici, non indicatur. Ineunte novembri mense a. 1720 ad plures abiit.

XI. PETRUS HOTTON, Medicinae et Botanices Professor, ab a. 1695. Fato functus est d. 10 vel 11 ianuarii 1709.

XII. BURCHERUS DE VOLDER, Philosophiae et Matheseos Professor ab a. 1670, quo quidem vocabatur d. 8 febr., sed d. 15 aprilis a Curatoribus statuebatur, ne haberet orationem, antequam aqua sacra tinctus (baptizatus) esset; quod factum ante d. 30 sept. istius anni. Laboribus Academicis se abdicavit, honesta rude donatus, d. 19 octobr. 1705, et rebus humanis ereptus est d. 21 martii 1709, laudis praeconem nactus *Iacobum Gronovium*, cuius oratio funebris in compendium redacta est in *Davi-*

dis

dio van Hoogſtraten Dictionario Hiſtorico v. *B. de Volder*, et a *Wagenaar*, Beſchrijvinge van Amſterdam III deel, bl. 237, 238.

XIII. WOLFERDVS SENGVERDIVS, Philoſophus, ab a. 1676. Academiae Rector renunciatus eſt a. 1701 et 1715. Obiit d. 26 ian. 1724. Patrem habuit *Arnoldum Senguerdium*, cuius vitam ſcripſerunt *C. Burmannus*, in Trai. erud. p. 355, *Wagenaar* l. c. p. 231, et *Foppens*, Bibl. Belg. tom. I pag. 104, qui promittit, ſe deinde plura dicturum de *Wolferdo*; quod tamen non factum.

XIV. IACOBVS GRONOVIVS, Hiſtoriarum, Eloquentiae et Linguae Graecae Profeſſor ab a. 1678. Anno 1702 conſtitutus *Geographus huius Univerſitatis*, ſive *Academiae*, d. 20 dec. orationem habuit *de Geographiae origine, progreſſu ac dulcedine*. Rectoris provinciam nactus eſt a. 1703, iterum a. 1711, et per hanc occaſionem publice dixit *de Lege Regia*. Exiit de vita d. 21 oct. 1716. Concione funebri laudatus non eſt. Multum diverſa ſunt doctorum hominum iudicia de *Gronovio*, et de libris, ab eo editis. Conſulatur inprimis Cl. *Saxii* Onom. part. V p. 178 — 184.

XV. IACOBUS PERIZONIUS, ab a. 1693 Historiarum, Eloquentiae et Linguae Graecae Professor, huc vocatus ex Academia Franequerana. Accessit professio Historiae Foederati Belgii; qua occasione dixit d. 6 febr. 1702 *de fide historiarum contra Pyrrhonismum historicum.* Postquam a. 1707 magistratum Academiae gessisset, orationem habuit *de doctrinae studiis nuper post depulsam barbariem diligentissime denuo cultis et desideratis, nunc vero rursus neglectis fere et contemptis.* Mortuo d. 6 aprilis 1715, parentalia ei persolvit *A. Schultingius* d. 2 maii, e cuius oratione non pauca fecerunt sua vitae *Perizonianae* scriptores, *Vriemoet*, in Athen. Frisс. p. 625—640, *Westhovius*, ante collectionem orationum *Perizonianarum*, *D. van Hoogstraten*, in Diction. Hist., et alii, quos Cl. *Saxius*, Onom. Lit. part. V p. 275, 276, commemoravit. Addi potest Narratio mea p. 47, 48. Dubium nullum est, quin e commercio epistolico *Perizoniano*, quod e bibliotheca *Ruhnkeniana* in publicam nuper transiit, plurima queant peti, quibus vita viri eximii non parum illustretur.

In numerandis Professoribus, qui, post primum seculi XVIII annum, munus auspicati sunt, sequar temporis rationem, nullo habito

respectu ad literas artesque, quas in Academia Lugduno Batavâ docuere.

XVI. IACOBVS LE MORT, Chemiae et Medicinae Professor, inauguratus d. 22 maii 1702, quo dixit *de concordantia operum Naturae, Chymiae et Medicinae.* Anno 1706 dictus est Rector Academiae. Obiit d. 1 martii 1718. Vita eius scripta est a *Paquot*, Mémoires pour servir à l'histoire litteraire des 17 Provinces des Pays-bas, tom. V p. 136—143.

XVII. SALOMON VAN TIL, Theologiae Professor, provinciam auspicatus est d. 16 iunii 1702, habita oratione, *qua exitus Ecclesiae Reformatae ex Babylone spirituali iustificatur, et a schismatis crimine liberatur.* Anno 1704 creatus est Academiae Rector, quo munere abiens dixit *de conscientia in functionibus et proprietatibus contemplanda, quo eius cultura diligentius observetur.* In Programmate, quo eius oratio aditialis annunciatur, dicitur *insignis pietate, celebris eruditione, conspicuus scriptis, nuper apud Dordracenos Christianae veritatis veridicus vates, sagax doctor, strenuus defensor.* Mortuus est d. 31 oct. 1713. Vitam eius scripsit *H. van de Wall*, praefixam commentario *Tillii* de Tabernaculo Mosis. In-

 de

de sua inprimis hauserunt *D. van Hoogstraten*, in Diction. Hist., et *Paquot*, l. c. tom. XVIII p. 151—178, cuius iudicium de variis *Tillii* libris, dubito, an omnibus placiturum sit.

XVIII. BERNHARDUS ALBINUS, antea Archiater et Consiliarius Frederici Guilielmi, Electoris Brandenburgici, deinde etiam Frederici I, Regis Borussorum, Consiliarius ac Medicus, ex Academia Francofurtana ad Viadrum huc vocatus, dictusque in Programmate *orbi literato scriptis, meritis in Rempublicam Physico-Medicam famaque notissimus*, Theoriae et Praxeos Medicinae Professor constitutus, dixit d. 19 octob. 1702 *de ortu et progressu Medicinae*. Academiae Rector fuit a. 1710. Obiit d. 7 septembris 1721. Manibus ipsius oratione solemni iusta persolvit *H. Boerhaave*. Vid. *Sandifort*, V. C., Introd. in Museum Anatom. p. XIV, XXII—XXIV, et *I. A. de Chalmot*, tom. I Diction. Biographici p. 126, 127. Diu ipse suum scribebat nomen, *Albin*.

XIX. FRANCISCUS FABRICIUS, Ecclesiastes Leidensis, dictus est Theologiae Professor, et orationem d. 15 decemb. 1705 habuit *de Christo unico ac perpetuo Ecclesiae fundamento*. Accedente professione Oratoriae Sacrae,

crae, d. 8 iunii 1722 dixit *de Oratore Sacro.* Provinciam Rectoris nactus est annis 1708, 1716, 1724 et 1736, atque eo munere abiens habuit orationes *de Scholis Prophetarum; de scriba edocto in regno coelorum; in natalem CL^um Academiae L. B; de provida Christiani et inprimis Theologi senectute.* Mortuo d. 27 iulii 1738, parentavit ei d. 16 sept. *I. van den Honert:* e cuius oratione *Gerdes* sua pleraque derivavit, in Miscellaneis Groninganis, tom. II p. 122—129. Opusculis Latinis, quae recenset Cl. *Saxius*, Onom. Lit. part. VI p. 88, 632, testatus in iis plurimas esse dissertationes bonas, adiungi possunt, cum liber de sacerdotio Christi iuxta ordinem Melchizedeci, editus L. B. a. 1720, deinde a Parente meo Belgice versus ac multis in locis emendatus, tum Theologia Christiana ex solis Christi Salvatoris verbis, in Euangeliis relatis, succincte adornata, L. B. a. 1735.

XX. HERMANNUS BOERHAAVE, a d. 8 iunii 1701 Praelector institutionum Medicarum, quando orationem habuit *pro commendando studio Hippocratico*, constitutus est Medicinae ac Botanices Professor a. 1709, dixitque d. 20 martii *de Medicinae simplicitate*, item Professor Chemiae, inauguratus d. 26 sept. 1718, quando habuit orationem *de Chemia*

suos errores expurgante. Professione Botanices et Chemiae se abdicavit a. 1729, habito sermone Academico d. 28 aprilis. Summus Academiae magistratus in eum collatus est a. 1714 et 1730, habitaeque ab ipso sunt orationes *de comparando certo in Physicis*, et *de honore Medici servitute*. Viro immortali, mortuo d. 23 sept. 1738, parentatum est ab *A. Schultens*, cuius oratio, publice dicta d. 4 novembris, se sua simplicitate, fide ac gravitate commendavit omnibus, iis praesertim, qui eamdem aut in alias linguas vertendam, aut in scribenda viri summi vita sequendam existimarunt, indicati a Cl. *Saxio*, part. V Onom. Lit. p. 433, 650, ubi *Boerhaave* dicitur *Voorburgensis*. Idem legitur in libro, Levensbeschrijving van eenige voornaame, meest Nederlandsche, Mannen en Vrouwen, II deel bl. 134. Natus autem est in pago *Voorhout* prope Leidam. Vitae eius scriptoribus adiungi possunt *W. Burton*, an account of the life and writings of H. Boerhaave; e quo multa traducta sunt in A new and general Biographical Dictionnary vol. II pag. 257 - 262; *G. de Chaufepié*, Nouv. Diction. tom. II p. 337—352; *I. A. de Chalmot*, tom. III Diction. Biographici, p. 205—230; ne alios commemorem. Conf. etiam Narratio mea p. 28—32, 55, 56, 123, 124.

XXI.

XXI. IOHANNES HEYMAN, in ecclesia Smyrnensi quondam Homileta, ad docendas Linguas Orientales vocabatur, et d. 24 martii 1710 orationem habebat *de commendando earumdem literarum studio.* Ante adventum in hanc Academiam, per biennium aere publico sustentatus, dederat in Oriente operam addiscendis literis O. O., praesertim Arabicis: quod est mecum communicatum ex Actis Curatorum Vol. IX p. 425, 455—460. Obiit d. 7 aprilis a. 1737. De eius itinere in orientis solis regiones instituto descriptoque monet Cl. *Saxius* l. c. p. 535.

XXII. IACOBVS BERNARD, Ecclesiae Gallicanae hac in urbe Pastor, ab a. 1705 Philosophiae et Matheseos Lector, utriusque Professor constituebatur, dicebatque d. 29 febr. 1712 *de Philosophiae utilitate et necessitate.* Moriebatur d. 27 aprilis 1718. Vitam eius scripsit *Paquot*, l. c. tom. VI p. 351—358. Conf. Cl. *Saxius*, l. c. p. 374, et *de Chalmot*, l. c. tom. II p. 363—367.

XXIII. IOHANNES WESSELIUS, Ecclesiastes et Professor Theologiae Historiaeque Ecclesiasticae Rotterodamensis, provinciam docendae Theologiae auspicatus est d. 7 martii 1712, habens ora-

orationem *de titulo crucis Domini.* Accesſit a. 1738 profeſſio Oratoriae Sacrae; eaque occaſione, d. 19 ian. a. ſequentis dixit *de ſimplicitate prudenti in Oratore ſacro requiſita.* Cum Academiae Rector fuiſſet a. 1728 et 1740, duas habuit orationes, alteram, *de admiranda gentis Iudaeorum ubique diſperſae in hunc usque diem conſervatione*, alteram, *de feſto tabernaculorum, ſub Novo Teſtamento, Hieroſolymae, ab omnibus gentibus celebrando.* E vita exceſſit d. 16 ian. 1745. Iudicio Senatus Academici, *vir fuit eximius, doctrina, probitate, placidiſſimis moribus et prudentia inſignis, ampliſſimique huius ordinis decus egregium.* Noluit oratione Academica laudari; attamen laudatus eſt ab *I. van den Honert* concione Eccleſiaſtica, Belgice typis deſcripta. Conf. *C. de Feyſer*, in dedicatione ac praefatione, commentario *Weſſelii* in epiſt. Pauli ad Galatas praemiſſa, editoque poſt mortem auctoris, ſed qui maiorem ipſe ſibi comparaverat laudem edendis diſſertationibus ſacris Leidenſibus, atque diſſertationibus Academicis.

XXIV. IOHANNES IACOBVS RAU, cui iam a. 1705 a Curatoribus facta erat poteſtas diſſecandi cadavera in Theatro publico Academico, conſtitutus eſt a. 1713 Profeſſor Medicinae,

Ana-

Anatomiae et Chirurgiae, habuitque d. 26 sept. orationem *de Anatome docenda discendaque*. Anno 1718 munere Rectoris functus, dixit *de inventoribus et usu vasa replendi*. Mortuus d. 18 sept. 1719, publice d. 29 sept. laudatus est a *B. Albino*. Vid. *Sandifort*, V. C., Introd. in Museum Anatom. p. XIV—XXII, XXV, in cuius operis vol. I p. 1—26 describitur supellex Anatomica, quam Academiae Ravius legavit.

XXV. ANTONIVS SCHULTINGH, sive SCHVLTINGIVS (utroque enim modo nomen subinde scripsit), Professor Iuris, ex Academia Franequerana huc vocatus, auspicabatur munus d. 9 nov. 1713, habita oratione *de causis praestantiae Iuris Romani*. Magistratum Academicum gessit a. 1717 et 1729, quo abiens dixit *de utilitate ex Iurisprudentia Romana ad alias artes ac scientias redundante*, atque *de angusta innocentia hominis ad legem boni*. Obiit d. 12 martii 1734, concione funebri laudatus ab *I. I. Vitriario*. Vita eius scripta est a *Vriemoet*, in Athenis Frisiacis p. 716—722, et aliis. Vid. Onom. Lit. Cl. *Saxii* part. V. p. 410, 648. Conf. Narratio mea p. 26, 27.

XXVI. TACO HAIO VAN DEN HONERT, ante Verbi Divini minister Amstelodamensis, docendae

dae Theologiae provinciam auspicatus est d. 1 nov. 1714 oratione *de mysterio primi et secundi Adami.* Accedente professione Antiquitatum Hebraearum, d. 4 dec. 1721, dixit *de necessaria ad recte interpretandam Scripturam Sacram Antiquitatum Hebraicarum cognitione.* Anno 1720 et 1732 Rector Academiae fuit, orationesque habuit *de Theologiae Propheticae necessitate, eiusque perpetuo in Ecclesia usu,* et *de Religionis indifferentismo.* E vita excessit d. 23 febr. 1740. Vitam patris Belgice scripsit filius, *Iohannes van den Honert,* a. 1741 praemissam novae recensioni libri paterni, cui titulus: Verae viae Dei, *cet.* Conf. Miscell. Groning. tom. III. p. 768, et Cl. *Saxii* Onom. Lit. part. VI p. 37.

XXVII. PETRVS BVRMANNVS, ex Academia Traiectina vocatus, Eloquentiae, Graecae Linguae et Historiarum Professor, dixit d. 20 iulii 1715 *de publici humanioris disciplinae Professoris proprio officio et munere.* Accessit a. 1716 professio Historiae Foederati Belgii. Postquam a. 1725 constitutus esset Professor Poeseos, d. 17 sept. habuit orationem *de Bibliothecis publicis earumque praefectis.* Magistratum Academicum, quem a. 1731 gesserat, positurus, dixit *pro Litteratoribus et Grammati-*

ticis. Mortuus est d. 31 martii 1741, et solemni ritu d. 26 aprilis laudatus ab *H. Ooster dyk Schacht.* Ut ex eius oratione peti potest notitia vitae, ita librorum *Burmanni* ex Onom. Lit. *Saxii*, V. C., part. V p. 466—476. Conf. *I. A. de Chalmot*, Biographisch Woordenb. der Nederl. V d. bl. 161—173.

XXVIII. WILHELMVS IACOBVS 'S GRAVESANDE, Astronomiae et Matheseos Professor, d. 22 iunii 1717, orationem habuit *de Matheseos in omnibus scientiis, praecipue in Physicis, usu, nec non de Astronomiae perfectione ex Physica haurienda.* Anno 1734 creatus Philosophiae Professor, dixit d. 25 sept. *de vera et nunquam vituperata Philosophia.* Quatuor ante annis a Curatoribus constitutus erat Doctor Architecturae civilis et militaris, ea lege, ut lingua Belgica eam publice doceret; uti fecit ad annum usque 1734. Perfunctus munere Rectoris a. 1723, dixit *de evidentia mathematica et morali.* Obiit 1 Kal. mart. 1742. Vitam eius conscripsit *I. N. S. Allamand*, cum in oratione de vero Philosopho, tum in Dictionario Historico *Prosperi Marchand*, tom. II pag. 214—248, tum ante opera *'s Gravesandii*, edita a. 1774. Conf. *Vriemoet*, in Ath. Fris. p. 863, et *Saxii* Onom. part. VI pag. 225, 226, item Narratio mea p. 37, 38.

XXIX.

XXIX. IACOBVS WITTICH, ex Academia Duisburgensi huc vocatus Professor Philosophiae, d. 19 sept. 1718 munus suscepit oratione habita *de certitudine et evidentia, in quibus illa Philosophiae partibus reperiatur.* Accessit professio Ethices a. 1725. Astronomiae et Matheseos Professor a. 1734. creatus, dixit *de infinito, prout in eo Geometrae versantur.* Cum a. 1727 et 1735 Academiae magistratum gessisset, orationes habuit *de affectibus animi*, atque *de iniquitate et inutilitate tormentorum in quaestionibus reorum.* Fato concessit *Wittichius* d. 18 octobris a. 1739.

XXX. HERMANNVS OOSTERDYK SCHACHT, Medicinae Practicae Professor, auspicatus est munus d. 20 oct. 1719 oratione *de iis, quae Medicum ad artis exercitium se adiungentem praecipue scire oportet.* Deinde constitutus Professor Medicinae Theoretico Practicae, d. 22 ian. 1722 dixit *de artis Medicae firmitate.* Abiens provincia Rectoris, quam acceperat a. 1722 et 1734, habuit orationes *de Medico exercitato*, et *de prudentia in ratiocinio Physico et Medico necessario observanda.* Obiit d. 15 febr. 1744. Conf. *Haller*, tom. IV bibliothecae Medicinae practicae p. 135. Etsi vetuerat, ne publica oratio sui funeris gratia haberetur, voluit tamen Senatus Academicus, ut in Actis annota-

ta-

taretur, *vere testatum esse Rectorem, in* Oosterdykio *amisisse Senatum virum egregium, insigne Academiae et Medicinae ornamentum, prudentem et cordatum senatorem, atque integerrimum amicum.*

XXXI. IOHANNES IACOBVS VITRIARIVS, Iuris Publici et Privati Professor, ex Academia Traiectina evocatus, provinciam suscepit oratione *de Iuris naturae necessitate et utilitate*, d. 15 ian. 1720. Academiae Rector renunciatus est a. 1721 et 1737, eumque honorem deponens dixit *de pactis eorum, qui summum habent imperium*, atque *de iure alienandi imperia et regna*. Fato functus est d. 12 dec. 1745. Vide Cl. *Saxii* Onom. Lit. part. VI p. 130, 131, et Narrationem meam p. 54, 57.

XXXII. CAROLVS SCHAAF, Linguarum Orientalium Professor extraordinarius, auspicabatur munus d. 27. maii 1720 oratione *de utilitate studii L.L. O.O.* Diu tamen ante, et ab a. 1680, Leidae docuerat literas O.O, a Curatoribus huc vocatus ex Academia Duisburgensi, qui annuos eius reditus plus semel augebant; ut patet ex Actis Curatorum, Vol. VII p. 145, 149, 158, 220, 239. Circa idem tempus ac diu post a Curatoribus ubique quis quaerebatur,

qui publice doceret dialectos Arabicam et Aramaeam; quod docent eadem Acta, Vol. VII p. 104, 134, IX p. 62, 114. Est observatu dignum, maio mense anni 1720, conquestum esse *Heymannum*, supra n. XXI memoratum, de *Carolo Schaaf*, qui Curatoribus Academiae obtulerat libellum supplicem, et *Heymannum* contumeliosissime habuerat, quasi suae professioni nec parem, nec satisfacientem. Praecipuis Academiae ornamentis annumeratur a *Soermans*, Academisch Register bl. 112, 113. Possitne maiori minorive iure, aut nullo, statoribus literaturae Orientalis *Schaafius* annumerari, non meum est iudicium. Obiit d. 4 nov. a. 1729. Quae de eo dici possunt, ea dixit omnia Cl. *Saxius* part. V Onom. Lit. p. 350, 351.

XXXIII. BERNHARDVS SIEGFRIED ALBINVS, a d. 2 oct. 1719 Anatomiae et Chirurgiae Lector, quando dixit *de Anatomia comparata*, creatus est utriusque illius artis Professor, habuitque orationem d. 19 nov. 1721, *qua in veram, quae ad fabricae humanae inducit cognitionem, inquiritur viam.* Frustra eum sibi vindicare, a. 1743, Hallenses conabantur; quod mihi innotuit ex Actis Curatorum, Vol. XIII p. 6. Anno 1745 dictus Medicinae Pro-

fes-

fessor, novam provinciam capessivit, d. 25 oct. 1746, habita oratione *de natura humana*. Annis 1726 et 1738 Academiae magistratum gessit; eoque abiens, orationes habuit duas: alterius argumentum tacetur in Actis Senatus Academici; alterâ dixit *de tuenda valetudine, sive de arte sanitatem conservandi*. Ipse e vita discessit d. 9 sept. 1770. Qui noluisset concione funebri laudari, laudatus tamen est eximium in modum, cum ab *Hallero* et aliis, indicatis a *Saxio*, V. C., Onom. Lit. part. VI p. 306, 698, tum a *Bruckero*, in Pinacotheca scriptorum literis illustrium, dec. V n°. 6, a scriptore Elogii *Albini*, quod invenitur in Bibliothèque des Sciences et des beaux Arts, vol. 36 pag. 416—465, videturque adscribendum Cl. *Allamando*, et a Cl. *Sandifort*, p. XXII—XXXIV Introductionis in Museum Anatomicum, in cuius vol. I p. 29—90 describitur supellex *Albini* Anatomica. Conferri potest *I. A. de Chalmot*, tom. I. Dict. Biograph. p. 127, 128, et Narratio mea p. 33, 34, 56.

XXXIV. SIGEBERTVS HAVERKAMP, primum Euangelii praeco in vico Stad aan 't Haringvliet, deinde Lector Linguae Graecae, brevi autem post eiusdem Professor. Hortatu Curatorum

huius Academiae, recusavit hinc discedere ad Franequeranam, titulumque Lectoris cum honoratiore Professoris commutare; quod intellexi ex Actis Curatorum Vol. X p. 405. Munus Lectoris auspicabatur d. 1 iulii 1720, dicens *de quaestione, utrum armis an literis Graecia sibi maius nomen paraverit*, Professoris autem d. 3 dec. 1721, orationem habens, *qua probatur, vigente aemulatione et gloriae studio virtutem Graecorum ad maxima imperii et literarum incrementa pervenisse, at vero sublata aemulatione et exstincto gloriae ardore, omne decus literarum, una cum imperio, concidisse.* Eo iam tempore erat consilium vocandi *Hemsterhusium* ad docendas literas Graecas, praeclaro certe Academiae commodo; sed dabatur professio *Haverkampo*, quod suis rationibus magis accommodatum iudicabant *P. Burmannus* et pauci alii, metuentes, ne, vocato *Hemsterhusio*, luminibus suis obstrueretur. Eo spectant verba *Ruhnkenii* in Elogio *Hemsterhusii* p. 21, 22, a quibusdam non satis intellecta, ab ipso autem Elogii scriptore saepius mihi illustrata. Nactus deinde professionem Eloquentiae et Historiarum, dixit Haverkampus *de actione Oratoris, sive corporis eloquentia.* Obiit mense aprili 1742. De libris, quos edidit, inprimis legendus Cl. *Saxius*, part. VI Onom. Lit. p. 346—350.

XXXV.

XXXV. IOANNES ORTWINVS WESTENBERG, Professor Iuris civilis atque hodierni, huc vocatus ex Academia Franequerana, provinciam sibi demandatam suscepit d. 27 sept. 1723 oratione *de Philosophia ICtorum, et inprimis ea, quae circa legum collisionem versatur.* Rector Academiae renunciatus a. 1725 et 1733, dixit annis sequentibus *de iure Rhadamanthi*, atque *de Iurisprudentia Q. Cerbidii Scaevolae.* In eius obitum, qui accidit d. 1 iulii 1737, orationem funebrem habuit *I. C. Rucker*, d. 23 septembris. Vitam eius scripsit *Vriemoet*, in Ath. Fris. p. 776—781. Conf. Cl. *Saxii* Onom. Lit. part. V p. 363. Opusculorum *Westenbergii* Academicorum, ob raritatem et praestantiam, editionem novam curavit *I. L. E. Püttman*, Lipsiae 1794, praefatusque est et vitam ex *Vriemoeto* repetiit. Quantopere *Püttmanni* consilium placuerit aliis, intelligitur ex libro Germanico, inscripto Neue allgemeine Deutsche Bibliothek, XXI Th., s. 268.

XXXIV. ADRIANVS VAN ROYEN, Botanices Lector a. d. 12 martii 1729, dictus deinde est Medicinae et Botanices Professor, habuitque d. 19 iunii 1732 orationem *de amoribus et connubiis plantarum.* Onus autem professionis Botanicae, quod *magno Academiae emolumento*

et ornamento per plures annos felicissime susti- nuisse dicitur in Actis Senatus Academici, depo- suit, et per hanc occasionem, d. 24 maii 1754, recitavit elegantissimum ac tersissimum carmen elegiacum. Ter gessit magistratum Academiae, a. 1742, 1758 et 1770, eumque ponens, dixit *de historia morbi, primo et perpetuo Therapiae Medicae fundamento*; *de iusto motuum corpo- ris animique moderamine*; et *de morbis aeta- tum*. De carmine seculari a. 1775 dictum est in Narratione p. 13. Summo cum Academiae emolumento exantlatis laboribus, honorifica ru- de donatus est a Curatoribus a. 1775, nec ta- men otio indulsit, ut testatur eius carmen ele- giacum, inscriptum *Otium*, recitatumque d. 15 iulii 1776. Poëmata eius iunctim edita sunt Lei- dae a. 1778. Vitam cum morte commutavit d. 1 kal. mart. 1779.

XXXVII. ALBERTUS SCHULTENS, ex Acade- demia Franequerana huc vocatus, a. 1729, ut esset Praefectus Collegii Theologici, addita po- testate docendi linguas Orientales, tituloque In- terpretis MSStorum legati Warneriani, creatus est Professor L.L. O.O. a. 1732, et munus ca- pessivit d. 20 iunii oratione *de Linguae Ara- bicae antiquissima origine, intima ac sororia cum Lingua Hebraea cognatione, nullisque*

fecullis praeflorata puritate. Professionem Antiquitatum Hebraicarum, a. 1740 ei demandatam, auspicatus est d. 26 sept. oratione *de tabernaculo Mosis.* Postquam a. 1739 munere Rectoris functus esset, dixit *de Regina Sabaeorum.* Vivere his in terris desiit d. 26 ian. 1750. De vita viri immortalis praestantissimisque libris legantur vir doctus in Bibliothèque raisonnée tom. XLIV p. 344—364, *Gerdes*, in Miscell. Groning. tom. I p. 718—723, tom. II p. 383, 384, in Scrinio antiquario, tom. I p. 369, 370, t. II p. 566, *Vriemoet*, in Athen. Fris. p. 762—771, *Barkey*, in dedicatione Bibliothecae Brem. Novae, Cl. V fasc. 2, multi alii, de quibus Cl. *Saxius*, Onom. Lit. part. VI p. 102, 103, 638, 639. Conferri possunt dicta in Narratione mea p. 40—43.

XXXVIII. IOHANNES VAN DEN HONERT, Theologiae Professor, ex Academia Traiectina vocatus, provinciam hic auspicatus est d. 15 sept. 1734 oratione *de regeneratione sive de natis ex connubio Christi cum Ecclesia liberis.* Constitutus deinde Professor Historiae Ecclesiasticae dixit d. 28 ian. 1739 *de Bohemorum et Moravorum Ecclesia*, et Professor Oratoriae Sacrae d. 23 nov. 1746 *de sapientia et arte Oratoris Ecclesiastici.* Munere Rectoris a. 1744

gesto, habuit orationem *de mutua Christianorum tolerantia.* Mortuum d. 6 apr. 1758, laudavit eum *I. Lulofs* d. 19 iunii, vitamque descripsit. Conf. Cl. *Saxii* Onom. Lit. part. VI p. 350.

XXXIX. IOANNES CONRADUS RUCKER, primum Lector, deinde Professor Iuris Civilis, munus hoc suscepit. d. 20 sept. 1734, publice dicens *de superanda difficultate studii Iuris Civilis.* Rector fuit a. 1741, iterum a. 1757, eaque occasione dixit *de Libertatis praesidio, Iure Civili*, et *de vero Iurisconsulto viro bono.* Post mortem *Vitriarii*, iterumque, quando *Weis* impetraverat missionem ab ordinario munere Professoris, ad tempus et rogatu Curatorum docuit *Ruckerus* Ius Publicum. Honestissima rude a. 1769 donatus est, mortuus d. 8 martii 1778. Vid. Cl. *Saxius*, l. c. p. 475, 738.

XL. HIERONYMUS DAVID GAVBIVS, Lector Chemiae, d. 21 maii 1731 habuit orationem, *qua ostenditur, Chemiam artibus Academicis iure esse inserendam;* deinde Medicinae et Chemiae Professor, dixit, d. 18 oct. 1734, *de Chemicorum promissis ad prolongandam vitam, eorumque fallaci eventu.* Magistratum Academiae gessit, primum a. 1746, secundum a. 1762, tertium a. 1774,

et

et illo abiens, dixit semel iterumque *de regimine mentis quod Medicorum est*; et *de admirandis Divinae Providentiae documentis in condenda, tuenda, et amplificanda Academia Lugduno Batava*. Postquam multos magnosque, summo cum Academiae emolumento, exantlasset labores, honorifica rude donatus est a. 1775, ea tamen lege, ut in Senatu Academico eundem deinceps teneret locum et honorem, quem ante tenuisset. Diem obiit supremum d. 29 novembr. 1780. De *Gaubii* oratione panegyrica a. 1775, meritisque in rem Medicam ac Chemicam, a Cl. *Bleuland* celebratis, vide Narrationem pag. 13, 34, 35.

XLI. GERLACVS SCHELTINGA, ex Athenaeo Daventriensi vocatus, Professor Iuris Civilis, dixit d. 27 iunii 1738 *pro Iurisconsultis et Iurisprudentia*. Rectoris munere functus est a. 1745 et 1761, quod positurus habuit orationes *de officio magistratus*, et *de Iure civili Romano ICtis non sufficiente quidem, sed tamen necessario*. Praeter orationes, exstant duae ipsius dissertationes *de Emancipationibus*, repetitae in *Danielis Fellenberg* Iurisprudentia Antiqua, tom. II; item emendationes et interpretationes locorum quorumdam in Iurisconsultorum Graecorum commentariis in Tit. *D.*

et *Cod. de Postulando*, editis a *Ruhnkenio* in Nov. Thes. Iur. Civ. et Canon. Meermanniano, tom. III p. 1 sqq., atque nonnullorum locorum in Graecorum ICtorum comm. ad Tit. D. et *Cod. de Procuratoribus et Defensoribus*, tom. V eiusdem Thesauri. Ita me monuit Cl. *van der Keessel*. Obiit d. 9 febr. 1765.

XLII. PETRVS VAN MUSSCHENBROEK, ex Academia Traiectina in Leidensem vocatus, Professor Matheseos et Philosophiae, d. 25 ian. 1740 dixit *de mente humana semet ignorante*. Cum poneret summum Academiae magistratum, a. 1743 gestum, habuit orationem *de sapientia Divina*. Mortuus est d. 19 sept. 1761. Legendus est Cl. *Saxius*, Onom. Lit. part. VI p. 262, 263, 679. Conf. Narratio p. 73-39.

XLIII. IOANNES ALBERTI, ante Ecclesiastes Harlemensis, Professor Theologiae constitutus orationem habuit d. 5 oct. 1740 *de Theologiae et Critices connubio*. Rector Academiae fuit a. 1748, dixitque *de Poësi Theologis utili*. E vita hominum migravit d. 13 aug. 1762. Vid. *Gerdes*, in Miscell. Groning. t. III, p. 685, *Barkey*, in Bibl. Brem. Nova Cl. II fasc. 2. 414, Cl. *Saxius*, Onom. Lit. part. VI p. 387,

I. A.

I. A. de Chalmot, tom. I Diction. Biographici p. 125, 126, et Narratio mea p. 23, 24.

XLIV. IOANNES ESGERS, ex Ecclesia Amstelodamensi vocatus, Theologiae Professor, dixit d. 10 oct. 1740 *de supremo Ecclesiae Doctore et ab Eo edoctorum felicissimo statu.* Accessit professio Antiquitatum Hebraicarum, quam auspicatus est d. 18 oct. 1751 oratione *de fontibus, unde Theologo pernecessaria Antiquitatum Hebraicarum cognitio hauriendā est.* Anno 1752 Rectoris provincia functus, dixit *de rivulis ex fontibus Antiqq. Hebr. subinde deductis.* Obiit d. 28 maii 1755.

XLV. FRANCISCVS VAN OUDENDORP, Eloquentiae et Historiarum Professor, munus suscepit d. 21 oct. 1740 oratione *de Literatis Caii Iulii Caesaris studiis.* Rectoris munere perfunctus est a. 1751. Argumentum orationis, d. 8 febr. 1752 ab ipso habitae, tacetur in Actis Senatus Academiae. Pridie autem parentarat Guilielmo IV, Principi Auriaco; ut deinde, d. 26 febr. 1759, concione funebri laudavit eiusdem Viduam, Regiam Britanniarum Principem Annam. E vita abiit d. 14 febr. 1761. Vide Onom. Lit. Cl. *Saxii* part. VI p. 336, 337, 780, et Narrationem meam p. 95, 96, eiusque appendicem p. 155 seqq.

XLVI.

XLVI. TIBERIVS HEMSTERHUIS, ex Academia Franequerana ad Lugduno Batavam accessit Professor Linguae Graecae et Historiae Patriae; cuius docendae provinciam auspicatus est d. 25 nov. 1740 oratione *de Literarum humaniorum studiis ad morum emendationem et virtutis cultum conferendis.* Academiae Rector renunciatus est a. 1747, quo quidem, d. 29 iunii, habuit orationem ad Guilielmum IV, Principem Auriacum, die autem 8 febr. anni sequentis dixit *de statu Belgii.* Die 28 oct. 1765 honesta rude donatus est. Fatis concessit d. 7 apr. 1766. Elogium *Hemsterhusii*, a *Ruhnkenio* scriptum, nemini ignotum est, nisi humanitatis omnis experti. Vide *Vriemoet* in Ath. Fris. p. 782, 783, et plures alios, indicatos a Cl. *Saxio* Onom. Lit. part. VI p. 100—102. In dedicatione Bibliothecae Bremensis novae, Cl. II fasc. 2, male a *N. Barkey* appellatur *Petrus Hemsterhuis.* Addi potest Narratio mea p. 44—46.

XLVII. IOACHIMVS SCHWARTZ, ab anno 1737 Lector Iuris Civilis, quando orationem habuit, cuius argumentum, *utrum iure culpandus esset Tribonianus, quod in componendis Pandectis Ethnicorum hominum scripta compilaverit*, sed eiusdem Professor a d. 12 apr. 1742, quo dixit

dixit *de origine Iuris personarum et insigni mutatione, quam eidem intulit pugna Cannensis.* Post magistratum Academiae a. 1749 gestum, orationem habuit *de caussis contemtae Iurisprudentiae Romanae.* Obiit d. 6 martii 1759.

XLVIII. IOHANNES LULOFS, Astronomiae et Matheseos Professor, auspicatus est munus d. 18 sept. 1742 oratione *de caussis Astronomiae promotae.* Constitutus deinde Professor Philosophiae, dixit d. 22 iunii 1744 *de utilissimo, sed hactenus raro, Metaphysices et Matheseos connubio.* Academiae Rector fuit a. 1755, quem honorem ponens, habuit orationem *de iis, quae in his regionibus Astronomiae, praesertim practicae, cultui hactenus fuerunt impedimento.* Naturae debitum solvit d. 4 nov. 1768. Vid. Cl. *Saxii* Onom. part. VII. p. 157.

XLIX. BERNHARDINVS DE MOOR, Theologiae Professor, modo Franequeranus, modo Leidensis, cum susciperet munus, d. 21 iunii 1745, dixit *de imperfecta Ecclesiae militantis felicitate.* Munere Rectoris a. 1756 functus, habuit orationem *de eo, quod nimium est in scientia Theologica.* Decreto Curatorum d. 19 apr. 1779 est ei concessum otium honorificum

a

a laboribus Academicis. Obiit Goudae d. 18 iulii 1780. Vide *Vriemoet* Ath. Fris. p. 850, 851.

L. ANDREAS WEIS, Professor Iuris Publici et Privati, huc vocatus ex Academia Basileënsi, in qua Ius Naturae ac Gentium profitebatur, d. 9 oct. 1747 dixit *de praesidiis, quibus instructum esse oportet Iuris Publici Germanici interpretem.* Magistratum Academiae, quem a. 1753 gessit, deponens, habuit orationem *pro institutione Nobilium Academica.* Cum ipse esset praefectus institutioni Celsissimi Principis Auriaci, a Curatoribus per libellum supplicem d. 1 oct. 1760 petiit et impetravit missionem a munere Professoris; Curatores vero, die 8 nov. eiusdem anni eum constituerunt Professorem Iuris Publici Privatique *Honorarium.* Iussu Senatus, d. 15 apr. 1766 habuit orationem Academicam ad Serenissimum Principem, Guilielmum V. Praeter orationes, edidit disputationes de usu aequitatis in interpretatione legum, Basileae 1737, de iure victoriae, ib. 1738, et de bello hominis privati, ib. 1742; ut e Supplem. ad Bibliothecam Lipenio-Ienichianam, atque *Aug. Frid. Schott* Supplem. Bibliothecae Lipenii me docuit Cl. *Smallenburg.* In Patriam reversus, obiit in Helvetia.

LI.

LI. FREDERICVS WINTER, Professor Medicinae, ex Academia Franequerana huc evocatus, dixit d. 23 oct. 1747 *de motu vitali et irritabilitate fibrarum.* Academiae Rector fuit a. 1750. Mortuus est d. 11 nov. 1760. Conf. *Vriemoet* in Ath. Fris. p. 852, 853.

LII. FREDERICVS BERNHARDVS ALBINVS, primum Lector Anatomiae et Chirurgiae, a d. 20 oct. 1745, quo dixit *de Amoenitatibus Anatomicis*, deinde utriusque Professor, quam provinciam auspicatus est d. 28 iunii 1748 oratione *de causis dissensionum inter Anatomicos.* Accedente professione Medicinae, d. 30 apr. 1771 habuit orationem *de ambulatione*, *eaque utili et necessaria et iucunda.* Munere Rectoris a. 1754 et 1766 functus, dixit *de praestantia Chirurgiae*, et *de amictus noxis.* Tertium Rector renunciatus est a. 1778, sed obiit d. 23 maii eiusdem anni. Vitam ipsius scripsit Cl. *Sandifort*, Introd. in Museum Anatom. p. XXXIV—XXXVI coll. p. XXXI. Conf. mea Narratio p. 114.

LIII. IOHANNES NICOLAVS SEBASTIANVS ALLAMAND, Philosophiae et Matheseos Professor, ex Academia Franequerana ad Batavam accedens, d. 30 maii 1749 dixit *de vero Philosopho,*

et

et postquam a. 1759 rexisset Academiam, *de Philosophia recentiori.* Vivere desiit die 2 martii 1787. Legendus *Vriemoet*, in Athenis Fris. p. 863, 864, etiam *Paquot* l. c. tom. XIII p. 445—448, et *de Chalmot* l. c. t. I. p. 154, 155. Eius quoque cura Gallice prodibant versio libri Iobi *Schultensiana*, et opera *'s Gravesandiana*, item *Brissonii* Ornithologia, notis aucta. Conf. Narratio p. 89, 90.

LIV. IOANNES IACOBVS SCHULTENS, Theologiae et Linguarum Orientalium Professor, huc vocatus ex Academia Herbornensi, munus suscepit d. 22 sept. 1749 oratione *de fructibus in Theologiam redundantibus ex penitiore L.L. O.O. cognitione.* Post gubernatam rem Academicam a. 1760, dixit *de pari eruditione Doctors Academici et Ecclesiastici.* Ex hac vita discessit d. 27 nov. 1778. Conf. *Gerdes*, in Scrinio antiq. tom. II p. 566, *H. A. Schultens*, in orat. de studio Belgarum in literis Arabicis excolendis p. 43—46, *E. Scheidius*, in orat. de eo, quod Schultensii, *cet.*, *pag.* 6, *Kantelaar*, lofreden over *H. A. Schultens*, bl. 73, 74, et Narratio mea p. 41.

LV. DAVID VAN ROYEN, Professor Botanices, dixit, d. 14 iunii 1754, *de hortis publicis*,

tis, praestantissimis scientiae Botanicae adminiculis. Anno 1763 Rectoris munere functus est, eoque abiens, habuit orationem *de hodierna rei Herbariae excolendae ratione, ad certitudinem et evidentiam in ea consequendam egregie comparata.* Professione Botanices se abdicavit a. 1786. Obiit d. 30 apr. 1799.

LVI. IOANNES VAN SCHELLE, Theologiae Professor, ante Ecclesiastes Amstelodamensis, munus auspicatus est d. 16 oct. 1758 oratione *de feliciori, extremis Euangelii temporibus reservato, Ecclesiae Christianae statu.* Mortuus est d. 24 iulii 1762. Conf. *N. Barkey,* in Bibl. Brem. Nova, Cl. II fasc. 2. p. 413, 414. Belgice edidit comm. in Ies. c. XI et XII.

LVII. DAVID RVHNKENIVS, primum Lector Linguae Graecae a d. 16 maii 1757, quo dicta est oratio *de Graecia artium ac doctrinarum inventrice,* deinde Historiarum et Eloquentiae Professor, quam provinciam adiit d. 21 sept. 1761 oratione *de doctore umbratico.* Rectoris munus, quod gessit a. 1767, ponens, dixit *de perfecto Critico, spectato in exemplo T. Hemsterhusii.* Anno 1785 eum sibi vindicare Academia Gottingensis conabatur; sed frustra. Quod quam sibi gratum fuerit, Curatores huius

Academiae et verbis et rebus ostendebant. Diem supremum obiit d. 13 maii 1798. Vitam eius scripsit Cl. *Wyttenbachius*, quae prodiit a. 1799. Edita sunt Leidae a. 1780 Scholia in Platonem, quae *Ruhnkenius* collegerat e Bibliothecis Vindobonensi, Florentinis aliisque. Conf. dicta in Narratione p. 45, 46.

LVIII. PETRVS COUWENBURG DU BOIS, Ecclesiastes Leidensis, a. 1762 renunciatus Theologiae Professor, dixit d. 1 nov. *de gloria Dei, in omnibus Eius operibus, maxime vero in augustissimo salutis opere, lucidissime fulgente.* Obiit d. 7 martii 1764. Conf. Narratio p. 104.

LIX. EWALDVS HOLLEBEEK, Theologiae Professor, ex Academia Groningana huc evocatus, d. 22 nov. 1762 habuit orationem *de Theologo non vere orthodoxo, nisi vere pio.* Rector Academiae fuit a. 1764 et 1780, quo munere abiens, dixit *de Divinae Revelationis in Belgio contemtu atque caussis eius praecipuis*, et *de utilitate ex incredulorum contra Sacras Litteras conaminibus in Religionem Christianam redundante.* Ex hac vita excessit d. 24 oct. 1796. Dicitur in Actis Senatus eod. d. *Theologus pius, eruditus, modestus, pacis con-*

concordiaeque et ipse studiosissimus et apud alios auctor suasorque indefessus. Vid. *N. Barkey* in dedicatione Bibliothecae Brem. Novae, Cl. III fasc. 3, Cl. IV fasc. 2 p. 360, *D. C. van Voorst*, Lijkrede over *E. Hollebeek*, 1796.

LX. FRIDERICVS WILHELMVS PESTEL, Professor Iuris Publici et Privati, ex Academia Rintelensi in hanc migrans, d. 16 maii 1763 habuit orationem *de damnis ex neglectu Iuris Publici in civitates redundantibus.* Anno 1765 functus munere Rectoris, dixit *de communi bono, lege civitatum prima;* iterum a. 1777, *de differentiis praecipuis veteris et recentioris gentium Europaearum Politiae;* tertium a. 1788, *de fructibus, qui ex Iurisprudentia perfectiori ad populos Europaeos seculo XVIII pervenerunt.* Tempore promotionis solemnis, sive more maiorum, d. 9 febr. 1775, habuit orationem *de literarum studiis florentibus pro eo, quo a populorum rectoribus cohonestantur, pretio.* Munere ac dignitate motus est a Curatoribus a. 1795. Conf. Narratio p. 52.

LXI. AEGIDIVS GILLISSEN, Theologiae Professor, antea Franequeranus, auspicatus est munus d. 17 iunii 1765 oratione *de veterum haereticorum iniusta defensione.* Anno 1768 Rector

 Aca-

Academiae fuit, dixitque *de fabulis Ecclesiastici cis temere arreptis ad infirmandam Euangelii veritatem.* Decreto Curatorum d. 7 nov. 1789 honorificum ei a laboribus Academicis concessum est otium. Ex hac vita migravit d. 13 iunii 1800. Vide *Gerdes*, tom. II Scrinii antiquarii, p. 558, *Vriemoet*, in Ath. Fris. p. 857, 858, et Narrationem meam p. 50.

LXII. HERMANUS SCHOLTEN, antehac Ecclesiastes in pago Diepenheim, Theologiae Professoris munus suscepit d. 18 iunii 1765 oratione *de hominis peccatoris propter sola* Θεανθρώπου *I. C. merita — coram Deo iustificatione, olim festo expiationis die in intimis tabernaculi Mosaici adytis ab ipso Deo elegantissime depicta.* Munere Rectoris a. 1772 functus est, dixitque *de Paulo Apostolo, perfecta Doctoris Euangelici forma.* Eius exstat dissertatio, cui titulus: Vita Graecorum carminibus restituta, vel leges Accentuum Graecorum genuinae, ex atra multorum seculorum nocte in claram productae lucem: in Bibl. Brem. Nova Cl. V fasc. 2 p. 239—261. Obiit d. 10 oct. 1783.

LXIII. BAVIUS VOORDA, Professor Iuris Civilis Romani nec non Hodierni, ex Academia Franequerana ad Leidensem accedens, habuit

d. 24

d. 24 iunii 1765 orationem, *qua docetur, plus esse praesidii Civitatibus in bonis ICtis, quam in ipsis Legibus.* Anno 1769 et 1781 Rector Academiae fuit, ac dixit *de Aemilio Papiniano, seu ICti et viri optimi forma in Aemilio Papiniano spectata*, et *de sapientia Regis quondam Hebraeorum sapientissimi Iuridica.* Anno 1788 a Curatoribus dimissus est; sed, suum in locum restitutus a Delegatis Populi Hollandici a. 1795, dixit d. 7 maii *de libertate sentiendi dicendique ICtis propria, et in Papiniano spectata.* Mortuus est d. 9 iulii 1799. Vid. *Vriemoet*, in Ath. Fris. p. 874, *Paquot*, l. c. tom. VIII p. 248, 249, Cl. *Luzac*, in dedicatione fragmentorum Callimacheorum, et Narratio mea p. 52.

LXIV. LVDOVICVS CASPARVS VALCKENAER, Professor Linguae Graecae, huc evocatus ex Academia Franequerana, munus suscepit d. 3 iunii 1766 oratione *de publicis Atheniensium moribus, diversis temporum articulis, velut caussis decrescentis Reipublicae.* Accessit d. 14 dec. 1768 professio Historiae Patriae: qua occasione dixit d. 1 martii 1769 *de virtutibus rebusque gestis Gulielmi Primi, Principis Arausii, Belgicae Libertatis Vindicis, Foederatae huius Reipublicae Fundatoris.* Magistratum Academiae, a. 1771 gestum, posuit habita ora-

tione *de admirandis Divinae Providentiae rationibus in fundanda foederatorum Belgarum Libertate.* E vita excessit d. 15 martii 1785. Conf. *Gerdes*, in Miscell. Groning. tom. III p. 506, *Vriemoet*, in Athenis Fris. p. 844, 845, Cl. *Saxius*, Onom. Lit. part. VI p. 523—525, et Narratio mea p. 47. Edidit Cl. *I. Luzac* a. 1799 Callimachi Elegiarum fragmenta, collecta atque illustrata a *L. C. Valckenaer*.

LXV. DIDERICVS VAN DER KEMP, Ecclesiastes Leidensis, a. 1766 Historiae Ecclesiasticae docendae provinciam nactus, dixit d. 29 sept. *de bona spe, quae etiam nunc Ecclesiae Batavae superfit, ac praecipuis nonnullis eius ex Historia potissimum Ecclesiastica argumentis.* Professionem Theologiae auspicatus est d. 14 iunii 1779 oratione *de Gregorio Nazianzeno, imitabili Theologis nostris exemplo, sive de iis, quae Theologi nostri e Gregorii Naz. exemplo maxime imitanda discant.* Rector Academiae fuit a. 1775, fasces autem ponens, dixit *de eo, quod res Christiana e Iuliani in ipsam odio lucrata fuit.* De oratiuncula, die 12 iunii 1778 habita, dictum est in Narratione p. 114. Obiit d. 4 aug. 1780.

LXVI. DIONYSIVS VAN DE WYNPERSSE, Philosophiae, Matheseos et Astronomiae Professor,

vocatus ex Academia Groningana, d. 29 maii 1769 habuit orationem aditialem *de humanae naturae praestantia.* Anno 1779 munere Rectoris functus, dixit *de recta Philautia eiusque usu in vita et doctrina morali.*

LXVII. DIONYSIVS GODEFRIDVS VAN DER KEESSEL, Professor Iuris Civilis, ex Academia Groningana ad Leidensem accedens, dixit d. 12 martii 1770 *de Legislatorum Belgarum, in recipiendo Iure Romano, prudentia.* Anno 1799 dictus quoque est Professor Iuris Hodierni. Munere Rectoris functus a. 1773, 1785 et 1791, habuit orationes *de amore Patriae in iuventute Belgica excitando prudenterque dirigendo; de aequitate iudicantium, optimo turbatae Reipublicae remedio;* et *de Advocato Christiano.* Per occasionem promotionis *I. C. van der Kemp,* more maiorum peractae d. 23 apr. 1790, dixit *de studio Iuris Civilis, ad bonos mores formandos et virtutem colendam aptissimo.*

LXVIII. NICOLAVS HOOGVLIET, Ecclesiastes Leidensis, Professoris Theologiae munus suscepit d. 17 dec. 1770 oratione *de Oratoris sacri in refellendis Revelationis Divinae contemtoribus prudentia.* Academiae magistratum gessit a. 1776, sed orationem, etsi conscriptam, ac

 post

poſt mortem eius editam, *de latione Legis publica, non unico Revelatae Religionis documento*, non habuit, morbo diuturno praepeditus, quem mors ſecuta eſt d. 29 apr. 1777. Vid. Symbolae Litterariae Haganae, Cl. I faſc. 1 p. 225, 226.

LXIX. GVALTHERVS VAN DOEVEREN, Profeſſor Medicinae, vocatus ex Academia Groningana, ubi artem Medicam, Chemicam et Obſtetriciam docuerat, dixit d. 6 maii 1771 *de recentiorum meritis Medicinam hodiernam veteri praeſtantiorem reddentibus.* Die 7 iunii 1778 Academiae Rector, poſt mortem *F. B. Albini*, renunciatus eſt, atque munere expleto habuit orationem *de remedio morbo, ſive de malis, quae a remediis ſanandi cauſſa adhibitis ſaepenumero hominibus accidere ſolent.* Obiit d. 31 dec. 1783. Vitam ſcripſit Cl. *Sandifort*, adiecitque indicem ſupellectilis Anatomicae Doeverenianae, vol. I Muſei Anatomici p. 93 — 124. Conf. *I. A. de Chalmot*, Biographiſch Woordenb. der Nederlanden, VIII deel bl. 301 — 305. Fruſtra Gottingenſes eum ſibi voluiſſe vindicare et ex Academia Groningana ad ſuam allicere, narratur in Bibliotheca Bremenſi Nova, Cl. IV faſc. 1 p. 198.

LXX.

LXX. EDVARDVS SANDIFORT, Anatomes et Chirurgiae Professor; primum extraordinarius, a d. 22 maii 1771, quo dixit *de optimo Anatomico*, deinde ordinarius, a d. 25 maii 1772, quando habuit orationem *de circumspecto cadaverum examine, optimo Medicinae practicae adminiculo.* Professor etiam Medicinae dictus est d. 12 iunii 1778. Munere Rectoris a. 1782 perfunctus, dixit *de officio Medici perquam difficili, a multis pessime neglecto.* Postquam Anatomen per 28 annos demonstrasset, datus ei adiutor Filius, *Gerardus*, titulo Prosectoris in Theatro Anatomico, d. 8 febr. 1799. Conf. Narratio p. 110, 111.

LXXI. IOHANNES DAVID HAHN, antehac Medicinae, Chemiae, Botanices, et Philosophiae Professor Traiectinus, quem circa a. 1763 sibi vindicare conabantur Gottingenses, in hac Academia provinciam docendae Medicinae practicae et Chemiae auspicatus est d. 25 sept. 1775 oratione *de Medico speculatore.* Mortuus est d. 19 martii 1784. Vid. series Professorum, subnexa Cl. *S. Ravii* orationi panegyricae 1786, n°. LXXXVI. Testabantur Professores Medicinae Leidenses, „ *se, universum Senatum, omnesque, qui solidam et elegantem viri magni eruditionem consummatamque in Physicis Medicisque artibus*

peritiam iusto aestimare norunt pretio, obitum Hahnii *vehementer dolere.*"

LXXII. NICOLAVS GEORGIVS OOSTERDYK, Ioh. Fil., ex Academia Harderovicena, in qua Medicinam, Chemiam ac Botanicen docebat, huc evocatus Medicinae theoreticae Professor, d. 17. oct. 1775 dixit *de studio Medico in commune Reipublicae bonum quavis opera dirigendo.* Accessit d. 12 iunii 1778 professio Medicinae practicae. Perfunctus a. 1786 munere Rectoris, honorem istum posuit habenda oratione *de ardua Medicinae exercendae provincia.* Conf Narratio p. 91, 92.

LXXIII. ADRIANVS KLVIT, ex Athenaeo Medioburgensi huc vocatus, Antiquitatum et Historiae Patriae, inprimis Diplomaticae, Foederati Belgii Professor, munus suscepit d. 18 ian. 1779 oratione *de iure, quo Belgae legitimo suo Principi ac Domino Philippo imperium abrogaverint.* Academiae Rector fuit a. 1783, dixitque *de eo, quod nimium est in studio Iuris Publici universalis, sive de damnis ex abusu Iuris Publici universalis in omnem societatem redundantibus.* Munere suo motus est a Curatoribus a. 1795. Conf. Narratio p. 52.

LXXIV.

LXXIV. HENRICVS ALBERTVS SCHULTENS, ex Athenaeo Amstelodamensi ad hanc Academiam veniens, Professor Linguarum Orientalium et Antiquitatum Hebraicarum, dixit 1 martii 1779 *de studio Belgarum in literis Arabicis excolendis.* Academiae praefuit Rector a. 1787, ponens vero magistratum habuit orationem *de ingenio Arabum.* Postremus vitae dies fuit 12 aug. 1793. De vita eius studiisque et morte legantur Vaderlandsche Bibliotheek V deel, n°. 12, Mengelwerk bl. 546—551, Cl. *Paradys*, in orat. de Ἐυθανασία naturali, et quid ad eam conciliandam Medicina valeat, p. 13—15, Cl. *Wyttenbachius*, in Vita *Ruhnkenii* p. 207—209, *I. Kantelaar*, Lofreden op *H. A. Schultens*, vooral bl. 70—96, Narratio mea p. 41. Post obitum viri eximii, edidit Cl. *Munthinge* versionem libri *Iobi* Belgicam, ab ipso curatam auctamque observationibus, quibus suas adiungi voluerunt *Bergius* et *Eichhornius* in duplici istius versionis Belgicae interpretatione Germanica, anno eodem 1797 Lipsiae et Gottingae vulgata, et Cl. *Schroeder* in lucem prodire iussit partem Proverbiorum Arabicorum *Meidanii*, a *Schultensio* illustratorum.

LXXV. CAROLVS BOERS, ex Ecclesia Harlemensi vocatus Theologiae Professor, munus sus-

ſuſcepit d. 21 iunii 1779 oratione *de difficultatibus, quae diſciplinae Theologicae profeſſionem premunt, et de potiſſimis, quae illarum mitigationi inſerviant, levamentis.* Poſtquam a. 1784 Rector Academiae fuiſſet, dixit *de Religione, praeclaro ſanitatis praeſidio.* Anno 1795 dignitate Profeſſoris a Curatoribus, et munere Praefecti Collegio Theologico a Delegatis Populi Hollandici movebatur. Conf. Narratio p. 52, 104.

LXXVI. GERARDVS IOANNES NAHUYS, Eccleſiaſtes Amſtelodamenſis, provinciam docendae Theologiae et Hiſtoriae Eccleſiaſticae auſpicatus eſt d. 30 apr. 1781 oratione *de ſubtilioris Ethnicismi, inter Chriſtianos noſtra aetate ſerpentis, noxis ac remediis;* ſed brevi poſt, d. 10 oct. eiusdem anni, morte praematura rebus humanis ereptus eſt. Vitam eius Belgice ſcripſit Cl. *P. Hofſtede*, editam Rotterodami a. 1782. Conf. Symbolae Lit. Haganae, Cl. II. faſc. 3 p. 620, 621, 650.

LXXVII. PETRVS RIETVELD, Eccleſiaſtes Delphenſis, Profeſſor Theologiae dixit d. 7 maii 1781 *de dono diverſarum linguarum in primos Chriſtum profitentes divinitus collato, eoque graviſſimo pro veritate Religionis Chriſtianae ar-*

argumento. Ex vita excessit d. 22 iunii 1784. Conf. Symbolae Haganae l. c.

LXXVIII. FLORENTIVS IACOBVS VOLTELEN, Medicinae et Chemiae Professor extraordinarius a d. 17 ian. 1784, quo habuit orationem *de Chemiae hodiernae pretio rite constituendo*; ordinarius autem a d. 23 sept. eiusdem illius anni, quando dixit *de optimo Medico.* Anno 1790 fuit Academiae Rector, quo munere se abdicavit oratione *de Magnetismo animali.* Obiit d. 2 aug. 1795. Vid. Cl. *Smallenburgii* oratio *de viro iusto, civium optimo ac felicissimo*, p. 3. Dicitur a Collegis Medicis *vir in re Medica et Chemica consummatissimus, tam bene de Academia meritus, ut damnum, quod passa est, resarciri posse ferme desperet Facultas.* Post mortem ipsius, prodiit operis, cui titulus: Pharmacologia universa, pars 1 a. 1797, pars 2 a. 1800.

LXXIX. BROËRIUS BROËS, Ecclesiastes ante Vlissingensis, Professor Theologiae habuit orationem d. 14 iunii 1784 *de Literarum sacrarum studio, praecipuo Theologi munere.* Accessit deinde professio exegeseos librorum N. T. Anno 1792 magistratu Academiae functus est, eumque posuit oratione habita *de praecipuis orationis Iesu virtutibus.* Mortuus est d. 24 feb. 1799.

Edi-

Edidit Latine Conspectum Theologiae Christianae, Belgice Observationes in Euangelium Matthaei et Iohannis, Conciones aliquot ecclesiasticas, Carmina plurima, et nonnulla alia, nomine adiecto vel tacito.

LXXX. NICOLAVS PARADYS, Medicinae Professor, d. 2 oct. 1784 habuit orationem *de diligenti Therapeutices universalis studio, maximo recte medendi instrumento.* Accedente professione Historiae Medicinae, dixit d. 27 sept. 1800 *de cognitione Historiae Medicinae magno, cum ad Medici in arte exercenda solertiam, tum ad artis amplificationem, adiumento.* Rector Academiae cum fuisset a. 1793, sermonem habuit *de* Ευθανασίᾳ *naturali, et quid ad eam conciliandam Medicina valeat.* Conf. Narratio p. 92.

LXXXI. IONA GVILIELMVS TE WATER, in Athenaeo Medioburgensi ante Philosophiae et Historiae Patriae Professor, hac in Academia docendae Theologiae et Historiae Ecclesiasticae provinciam auspicatus est d. 9 apr. 1785 oratione *de studio Historiae Ecclesiasticae cum disciplina Theologica diligenter coniungendo.* Academiae Rector fuit a. 1789 et 1800, dixitque *de Theologo Erudito*, et *de rebus Academiae L. B., seculo XVIII, prosperis et adversis.*

LXXXII.

LXXXII. IOANNES LUZAC, Linguae Graecae et Historiae Patriae Professor, munus est auspicatus d. 24 sept. 1785 oratione *de eruditione, altrice virtutis civilis, praesertim in civitate libera.* Anno 1794 renunciatus est Rector Academiae; quo munere abiens, dixit *de Socrate cive.* Potestate docendae Historiae Patriae a. 1796 a Curatoribus privatus, provinciam quoque docendarum literarum Graecarum ultro deposuit. Anno sequenti a Delegatis Populi Batavi de ipso in integrum restituendo, intra paucos dies, aliter atque aliter iudicatum est. Conf. Narratio p. 52.

LXXXIII. CHRISTIANVS HENRICVS DAMEN, Professor Matheseos sublimioris, Architecturae militaris civilisque et Hydraulicae, dixit d. 5 nov. 1785 *de officio Mathematici in tradendis suae disciplinae fundamentis.* Nactus deinde professionem Physices, d. 22 sept. 1787 orationem habuit *de experimentorum in Physicis pretio rite constituendo.* Mortuus est d. 3 apr. 1793. Conf. oratio *Nieuwlandi*, de qua n°. LXXXVIII, p. 38, et Cl. *Speyert van der Eyk* oratio de vi Matheseos sublimioris, p. 19, 20.

LXXXIV. SEBALDVS IVSTINVS BRUGMANS, ex Academia Franequerana huc evocatus, Professor Botanices, dixit d. 28 oct. 1786 *de accuratio-*

nova professio Poëseos et Oratoriae Sacrae ei offerebatur: quam suscipiens, habuit d. 22 iunii orationem *de poëticae facultatis excellentia et perfectione spectata in tribus Poëtarum principibus, scriptore Iobi, Homero et Ossiano.* Summum Academiae magistratum a. 1797 gessit, eoque abiens, dixit *de Iesu Christi ingenio et indole perfectissimis, per comparationem cum ingenio et indole Pauli Apostoli illustratis.*

LXXXVI. NICOLAVS SMALLENBURG, Professor Iuris Civilis, e Franequerana Academia huc vocatus, auspicatus est munus d. 1 nov. 1790, dixitque *de praecipuis elegantioris Iurisprudentiae Romanae subsidiis.* Cum Rectoris Academiae munus, a. 1795 gestum, deponeret, habuit orationem *de viro iusto, civium optimo ac felicissimo.* Conf. Cl. *Wyttenbachius*, in Vita D. R. p. 204, et Narratio p. 77.

LXXXVII. MEINARDVS SIMON DU PUI, Artis Obstetriciae et Chirurgiae Practicae Professor extraordinarius, a d. 27 sept. 1791, quo dixit *de legum naturalium vi et ratione in usum artis Chirurgicae atque Obstetriciae prudenter adhibitis;* sed ordinarius a d. 7 nov. 1795, quo habuit orationem *de novissimis, quae artem Chirurgicam et Obstetriciam il-*

lustrarunt, *incrementis.* Postquam munere Rectoris a. 1799 functus esset, dixit *de vera, quae Medicorum est, experientia.* Ineunte novo seculo, ornatus est titulo Professoris Medicinae, sermonemque habuit *de iis, quae in exercenda Praxi Medica omnium partium utile ac necessarium connubium admittunt, vel prohibent.* Conf. Narratio p. 92.

LXXXVIII. PETRVS NIEUWLAND, Professor Physices, Matheseos sublimioris, Architecturae civilis et militaris, Hydraulices et Astronomiae, huc vocatus ex Athenaeo Amstelodamensi, auspicatus est munus d. 28 sept. 1793 oratione *de ratione disciplinarum Physicarum, cum ratione elegantiorum, quae vocantur, literarum comparata, et ex utrarumque natura illustrata.* Obiit d. 14 nov. 1794. Non ei defuere laudis praecones, tanquam viri Clarissimi *I. Luzac*, in oratione de Socrate cive p. 43—45, *Wyttenbach*, in vita Ruhnkenii p. 209—211, *Speyert van der Eyk*, in oratione de vi Matheseos sublimioris p. 1—4, 20—23, et *van Swinden*, in laudatione ipsius, Belgice edita. Iungantur Nieuwe algemeene konst- en letterbode 1794 n°. 49, bl. 178—182, et duo libelli, quorum alter inscribitur: Ter nagedagtenis van *P. Nieuwland*, door *I. W. van Sons-*

beeck

beeck en *D. I. van Lennep;* alter: Iets ter nagedachtenis van *P. Nieuwland*, door zijnen vriend *I. P. Michell.*

LXXXIX. EVERARDVS SCHEIDIUS, Linguarum Orientalium et Antiquitatum Hebraicarum Professor, accedens ad Academiam Lugduno-Batavam ex Harderovicena, in qua literas O.O. et Graecas docuerat, Leidae orationem habuit aditialem d. 19 oct. 1793 *de eo, quod Schultensii post immortalia erga literas Orientales merita, posteris agendum reliquerint.* Quae ipsius fuerint merita in literas Orientales, Graecas Latinasque, testantur, quos magno numero edidit, libri varii generis: praesertim recensio et versio scriptorum Arabicorum; observationes in Genesin, et Canticum Hiskiae, plurimaque alia V. T. loca; editio Etymologici Linguae Graecae *Lennepiani*, librique de eiusdem sermonis Analogia, ab ipso aucti; nova editio *Sanctii Minervae*; ut taceam reliquos. Est autem, quod doleant literaturae Orientalis amantes, multa virum diligentissimum affecta reliquisse, inprimis Lexicon Hebraicum. Vivere his in terris desiit d. 27 apr. 1794. Conf. Narratio p. 42.

XC. IOANNES VALCKENAER, quondam in Aca-

demia Franequerana, deinde in Leidenſi Iuris Publici et Privati Profeſſor a d. 10 oct. 1795, quo dixit *de officio civis Batavi in Republica turbata.* Anno 1796 modo adſcriptus eſt Delegatis Populi Batavi, modo a Rectoribus Reipublicae Batavae deſignatus Legatus ad Regem Hiſpaniarum; a Curatoribus autem a munere Academico miſſus, ſalvo tamen iure redeundi in Senatum: ut rediit a. 1799, ex legatione reverſus. Eodem illo anno iterum abiit in Hiſpanias, tanquam Legatus ſupremi ordinis extraordinarius. Inde reverſus a. 1801, priſtinum denuo in Senatu ſubinde occupavit locum.

XCI. IOHANNES HENRICVS VAN DER PALM, Linguarum Orientalium et Antiquitatum Hebraicarum Profeſſor, munus auſpicabatur d. 11 iunii 1796 oratione *de literis Hebraicis exornandis.* Cum a. 1798 Rectoris provinciam ſuſtinuiſſet, dixit *de Mohammede, religionis Ismaëliticae et imperii Saracenici conditore.* Anno 1799 creabatur Praefectus diſciplinis moribusque in Republica Batava, et Hagam concedebat; facta tamen ei poteſtate, cum, in Senatu locum ſervandi ſuum, tum, revertendi olim ad labores Academicos. Non ita dudum in eorum ordinem relatus eſt, quibus cura rerum internarum Reipublicae Batavae demandatur.

XCII.

XCII. SIMON SPEYERT VAN DER EYK, Physices et Mathefeos fublimioris modo Prae-Lector, a d. 8 oct. 1796, quo dixit *de vi Mathefeos fublimioris, quae cernitur in Phyfica, Aftronomia, aliisque difciplinis et artibus perficiendis;* modo Profeffor extraordinarius, a d. 18 nov. 1797, quando habuit orationem *de ftudio Hydraulices in primis in noftra Republica excolendo;* modo Profeffor ordinarius, a d. 27 fept. 1799, quo dixit *de utilitate et commodis e diligentius culta Mathefeos et Phyfices difciplina in vitam communem redundantibus.*

XCIII. EDVARDVS HAGEMAN, Profeffor Iuris Publici et Privati, ex Academia Harderovicena huc vocatus, fufcepit munus d. 22 fept. 1797 oratione *de Ecclefia a Republica feparatas rationes habente.* Dum haec fcribo, eft Academiae Rector.

XCIV. MATTHIAS SIEGENBEEK, Eloquentiae Hollandicae Profeffor, primum extraordinarius d. 23 fept. 1797, deinde ordinarius d. 28 fept. 1799, Patrio fermone dixit, cum, *over het openbaar onderwijs in de Nederduitfche Welfprekendheid*, tum, *over Pieter Cornelisz. Hooft, befchouwd als Dichter en Gefchiedfchrijver.*

XCV. DANIEL WYTTENBACH, Literarum Graecarum et Latinarum, Historiae cum Universae tum Philosophicae, Eloquentiae, Poëseos et Antiquitatum Professor, huc vocatus ex Athenaeo Amstelodamensi, d. 4 maii 1799 munus est auspicatus oratione *de adolescentia Davidis Ruhnkenii in exemplum proposita adolescentibus Batavis bonarum literarum studiosis.* Conf. Narratio p. 46.

XCVI. IOANNES VAN VOORST, nuper Theologiae et Historiae Ecclesiasticae Professor Franequeranus, deinde Ecclesiastes Arnhemiensis, vocatus est ad hanc Academiam, atque munus Professoris Antiquitatum Christianarum et Historiae dogmatum auspicatus est d. 1 iunii 1799 oratione *de scriptorum veterum Christianorum studio prudenter ac liberaliter excolendo.* Accessit a. 1800 professio Exegeseos N. T.

XCVIII. IOHANNES FREDERICVS VAN BEEK CALKOEN, Philosophiae Naturalis et Matheseos Professor extraordinarius, d. 5 oct. 1800 munus suscepit oratione *de rationis Mathematicae ad naturam conformatae elegantia atque utilitate.*

XCVIII. GERARDVM SANDIFORT, ineunte novo seculo, esse constitutum Anatomes Professorem extraordinarium, dixi in Narratione p. 111.

NOMINA
LECTORVM IN ACADEMIA LVGDVNO BATAVA,
SECVLO XVIII.

I. H. BOERHAAVE. vid. N°. XX.

II. HENRICVS COETS, Matheseos artisque militaris, Belgice docendae, Praelector, dixit d. 20 iunii 1701 sermone patrio *de laudibus Matheseos*. Conf. *I. A. de Chalmot*, Biographisch Woordenb. der Nederl. VII d. bl. 163.

III. L. BERNARD. vid. N°. XXII.

IV. I. I. RAU. vid. N°. XXIV.

V. B. S. ALBINVS. vid. N°. XXXIII.

VI. S. HAVERKAMP. vid. N°. XXXIV.

VII. A. VAN ROYEN. vid. N°. XXXVI.

VIII. H. D. GAVBIVS. vid. N°. XL.

XI. I. C. RVCKER, Lector Iuris Civilis, a. 1733. vid. N°. XXXIX.

X. WILHELMVS LA BORDVS, Lector Matheseos, vernaculo idiomate tractandae, orationem Belgice habuit d. 23 oct. 1734 *de utilitate et necessitate Matheseos hisce in terris vernaculo sermone tractandae.* Obiit a. 1757.

XI. IOACHIMVS SCHWARTZ. vid. N°. XLVII.

XII

XII. F. B. ALBINVS. vid. N°. LII.

XIII. D. RVHNKENIVS. vid. N°. LVII.

XIV. ADRIANVS CUYPERS, Lector Matheseos, sermone patrio docendae, dixit d. 5 iunii 1758 *de vera amoenitate Matheseos.* Obiit d. 9 apr. a. 1759.

XV. PYBO STEENSTRA, Matheseos Lector, lingua vernacula orationem habuit d. 30 oct. 1759.

XVI. IOHANNES ARENT FAS, Lector Matheseos, d. 28 nov. 1763 habuit orationem Belgicam *de salutifero Mauritii, Principis Nassavici, consilio in munere Lectoris Matheseos instituendo.* Accessit a. 1796 provincia Belgice docendae Astronomiae ac disciplinae navalis.

XVII. IOANNES LE FRANCQ VAN BERKHEY, Lector Historiae Naturalis, d. 1 nov. 1773 Latine dixit *de antiqua et nobili urbe Lugduno Batavorum, suo situ ad Historiae Naturalis delicias et exercitium opportunissima.*

XVIII. S. SPEYERT VAN DER EYK. vid. N°. XCII.

XIX. GERARDUS SANDIFORT, de quo supra in Serie Professorum n°. XCVIII, quamvis *Prosectoris* in Theatro Anatomico, non *Lectoris* titulo ornatus esset d. 8 febr. 1799, visum tamen est Senatui Academico d. 30 apr., ut iisdem iuribus honoribusque, quibus *Lectores* uti solent, uteretur.

COR-

CORRIGENDA.

p. 2, in not. anno *1777* et *1778*, *leg.* huius quoque ſeculi anno *1777*,

37. lin. 3. adhinc — abhinc
90, in not. Matth. — Math.
94. lin. 3, 4. eruditum — eruditorum.
95. lin. 8, 9. antiquiquitatis — antiquitatis
114, in not. 9. *trium* — trium
123. lin. 11. CVRATORIBVS, A — CVRATORIBVS A
127. lin. 7. ſeculo XVII. — ſeculo XVIII.
148. lin. 27 aliaquae — aliaque
160. lin. 27 re- — ae-
168. lin. 23. diffracta — diffractum
171. lin. 15 quem - modum — quemad - modum
172. lin. 13. LXVII — LXXV
199. lin. 1. reſpctu — reſpectu
205. XXV. Legenda etiam eſt *Frederici Saxe* oratio de *Antonio Schultingio*, altero genuinoque Batavorum Cuiacio, habita Daventriae a. 1789.
207. XXVIII. De *'s Graveſandio* quaedam commemorari a *Saverien*, Hiſtoire des Philoſophes modernes, tom VI p. 289, Cl. *Tydeman* mihi ſignificavit.
213. XXXIV. *leg.* XXXVI.
217. XLI. orarationes — orationes
218. lin. 17. p. *73*—*39*. — *37*—*39*.

Quae alia ſubinde occurrunt menda, ab operis commiſſa, ea velim pro humanitate ſua Lector emendet.